



A D G R A T I A N I CAVSAS XVI. XVII. XVIII. XIX. ET XX.

T R A C T A T U S *de Statu Regularium.*

P R A E F A T I O.



UONIAM Gratianus more suo & absque prævia præparatione aggreditur statim tractationem Causarum & Quæstionum, quæ ad Regulares pertinent, confusè sæpius & pro suo arbitrio; operæ precium visum est aliquid nos de Origine & variis Institutis Eremitarum, Monachorum, Cœnobitarum, Anachoretarum cæterorumque Regularium, tam in Oriente quam in Occidente delibare. Occasionem potius & illustrationem quam veram originem & historiam multi è sanctis Patribus repetunt, sanctus Basilius, sanctus Chrysostomus, maximè vero Lugdunensis Archiepiscopus Eucherius in libello elegantissimo de laude Eremi ad Hilarium, ab Elia, Eliseo & filiis Prophetarum, qui relictis urbibus solidudines & secessus expetebant, & ut eleganter loquitur; *Eremum rectè inscriptum Dei nostri templum dixerim, quem certum est habitare in silentio, credendum gaudere secreto; sapius se illic videndum Sanctis suis præbuit, & concilante loco, congressum non est aspernatus humanum.* Et paulo post: *Hoc igitur Eremi habitaculum dicam non immeritis quandam fidei sedem, virtutis eream, charitatis sacrarium, pietatis thesaurum, justitia promptuarium: sicut enim in magna domo pretiosa queque claustris obsignata in remotis habentur; ita magnificentia illa Sanctorum abditorum eremo, quam difficultibus suis natura obseravit, deponitur intra quoddam conclave deserti, ne conversationis humana usu obsolescat.*

Ex Eremo itaque, velut ex celeberrima Christianæ Philosophiæ Schola prima Monasteriorum & Cœnobiorum fluxerunt principia, & incrementa deducta; quorum Principes in Oriente Paulus Thebæus, & Antonius agnoscantur ab Hieronymo, qui verissimè initio vitæ Pauli scribit. Inter multos saxe dubatum est, à qui potissimum Monachorum Eremus habitari cepta sit. Quidam enim altius repetentes à B. Elia & Ioanne sumpsere principium, quorum & Elias plus nobis Propheta fuisse videtur quam Monachus; & Ioannes antè prophetare cœpsisse quam natus est Alij autem (in quam etiam opinionem vulgus omne consentit) asserunt Antonium hujus propositi caput; quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes

fuit, quim ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero & Macarius, Antonij discipuli, quorum superior corpus Magistri sepelit, etiam nunc affirmant, Paulum quemdam Thebaum principem istius rei fuisse. Quod non tam nomine, quam opinione nos quoque comprobamus. Hilarionem vero Antonij discipulum primùm in Syria Monachos instituisse idem sanctus Hieronymus testatur in *Hilarionis vita*, & in epist. ad *Paulinum*, de *Institutione Monachorum*. Nos habemus propositi nostri principes *Paulos*, *Antonios*, *Iulianos*, *Hilariones*, *Macarios* &c. Et sanè origo verior, quam quæ à Marco usque Evangelista origo Monachorum, Cœnobiorum & Monasteriorum tam hominum, quam fœminarum repetitur: cuius commenti primus autor Eusebius lib. 2. *Hist. Eccles.* cap. 16. deceptus Philonis libro de *Vita Contemplat* quem de Monachis Christianis scriptum putavit; eumque plerique veteres & novi secuti sunt. Quamvis manifeste & ex ipso Philone tam in dicto tractatu quam in aliis, & ex Josepho constet Philonem scripsisse de secta Essæorum inter Judæos, qui etiam apud Judæos ipsos & seorsim sacrificabant in locis, in quibus consistebant. Quod & ipse Eusebius lib. 8. de *præparat one Evangelica* retractavit; nempe *Essæos Indæos*, & vita genus austrius sectatos fuisse, & à reliquis secessisse. Decepit Eusebium, quod scripsit in eo tractatu Philo, *Essæos Monasteria habuisse*, & vitam communem coluisse, & plerique similia habuisse, quæ postea Monachi Christiani servaverunt. Quod perspicax Photius viderat Cod. 104. *Bibliotheca*, Essæos sectam fuisse Philosophorum Judæorum, qui vel colebant vitam communem & practicam, & erant Cœnobitæ; vel theoreticam sive contemplativam; quos, ait, nostrorum Monachorum conversationis quamdam formam præsignificasse.

Sed & hæc obscuriora sunt principia. Vera quæ diximus. A Paulo, Antonio, & Antonij discipulis, Hilarione, Macario, Pachomio & Osielio fundamenta Monasteriorum jacta: & à tribus postremis primum regulæ tradita & conscripta. Postea mirum in modum per universum Orientem vita Monastica propagata, & dispersa fuit usque ad Basilium, qui ubi primum Anachoreticam vitam coluisse in Ponti solitudinibus, tandem transtulit in urbes Monasteria, & sanctissimis regulis fundavit & firmavit, ut pluribus in ejus vita individuus comes Basilius Gregorius Nazianzenus. De hujusmodi variis institutionibus & Coloniis Monasticis, non tantum per Ægyptum, Palestinam & Syriam, sed etiam per universum Orientem, Scriptores Ecclesiasticos præter Eusebium, quem supradicitavimus, præstabit adire Socratem lib. 4. *Historia Ecclesiastica* cap. 18. 19. 20. 21. Theodoretum ejusdem *Hist. lib. 4. cap. 24. 25. 26.* & Sozomenum *lib. 3. cap. 13.* & *lib. 6. cap. 28. 29.* usque ad *cap. 35.* ex quibus ferè omnia desumptis Nicephorus Calistus *lib. 2. Hist. Eccles. cap. 15.* & 16. Et iterum pleniū *lib. 8. cap. 39. 40.* & *41.* & *lib. 11. cap. 34.* usque ad *capitulum 44.* Extat & ex professo Palladij Historia Eccles. Monachorum Lausiaca, & Theodoreti Historia Religiosa Græcè & Latine, & volumen integrum inscriptum, *vita Patrum*, cum Commentario doctissimi Rosæ.

Quod pertinet ad Occidentem, observandus locus Sozomeni, qui sub Theodosio juniori vixit in fine *cap. 13. lib. 3. Hist. Eccles.* apud Thra-

cas, Illyricos & cæteros Europæ populos tardiùs vitam Cœnobiticam & Monasticam innotuisse, eamque primum Martinum intulisse in Occidentem, Sarbaria Pannonicæ Oppido oriundum. Educatus tamen fuerat Ticini & institutus, ut ait Sulpitius Severus. Et quidem primum Monasterium constituit propè Mediolanum, Auxentio Ariano Episcopo Sedem tenente Mediolanensem, eodemque Arianorum Principe, à quo vexatus & cæsus, secessit in Gallinariam Insulam. Postea Hilarium secutus Galliæ redditum, apud Pictavos secundum Monasterium ædificavit, & postea electus Turonensis Episcopus, duo celebria Monasteria ibi constituit.

Ab iis initiis mirè propagari cœpit vita Monastica vel per Occidentales Monachos ; qui à Martino profecti, vel in Oriente instituti, in varias Europæ partes pietatis semina diffuderunt, quorum plerique ab initio in Syluis & in Insulis remotis sedes figebant. Inde nota Monasteria Insularum per Italiam & Galliam scriptis Patrum. Et in Italia quidem celebris Gorgon & Capraria, de qua Rutilius Numantianus in *Itinerario lib. I.*

*Processu Pelagi, jam se Capraria tollit,
Squallet Lucifugis Insula plena viris.
Ipsi se Monachos Graco cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.*

Majoris pietatis sensu de sanctis Patribus Italæ Monachis antiquioribus scripsit Gregorius Magnus in *dialogis*.

Quod ad Galliam pertinet, Martinum I. Monasteria diximus construisse ex Sozomeno: quod & apertiùs elegantiusque Sulpitius Martini discipulus tractavit ex professo lib. singulari de vita Martini cap. 4. s. 6. & 7.

Cœnobiticæ itaque institutionis gratiam debet universus Occidens Martino Archiepiscopo nostro. Postea verò ab iis initiis Lerinense Monasterium in Lerino insula celeberrimum extitit, cuius conditor & autor Honoratus circa annum 375. institutus ipse à sene Caprasio, Orientaliū Monachorum disciplinis apprimè instituto : quibus non contentus Honoratus, & ipse experimentis, quæ semel didicerat, confirmare voluit, suscepit in Orientem peregrinationibus. In Stæchadibus Insulis tribus Massiliæ vicinis frequentissima etiam eodem tempore Monasteria memorat Joannes Cassianus, qui & ipse Massiliæ & in vicinis locis Monasteria virorum & fœminarum instituit, & de Institutionibus Renuntiantium elegantissimos Libros conscripsit. Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 25. & lib. 7. epist. 17. suo tempore Lerinensia, Jurenſia & Grinicensia Monasteria nominat, quæ postrema, nempe Grinicensia, ut & alia præterea multa, in Viennensi Provincia posita refert Autor vita sancti Clari cap. 2. Jurenſia verò in Monte Jura; ubi civitas, quæ Burgundiam ab Helvetia separat, à Scriptoribus passim celebratur; quorum quidem autores primi memorantur Romanus & Lupicinus, & eorum successor sanctus Eugendus, qui Monasteriis illis præfuerunt, & regulas ac instituta; præcipue verò Eugendus tradiderunt: ex cuius vita, quæ ab ejus discipulo scripta est in cap. 14. hæc notanda sunt. *Iste etiam (Eugendus) refutato Archimanditarum more, utilius omnes univit in medium. Destructis namque mansionum adiculis uno cunctos secum Xenodochio quiescere fecit;*

AD CAU. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 37
ut quos causâ unita refectionis una cludebat adicula, discretis quoque lectulis una ambiret mansio. Recenset postea omnem conversationem Cenobiticam & institutiones ejus, eamque ita concludit. Inter hac autem omnia omnibus adempta proprietatis causa solum legere licuit, aut orare. Et sub finem agens de variis regulis Patrum. Sic namque quod non omnino illa, qua quondam Sanctus & præcipuus Basilius Cappadocie urbis Antistes, vel ea, qua Sancti Lerinensem Patres, Sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus Abbas, vel illa, qua recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa præsumptione calcemus: sed ea quotidie lexitantes, ista pro puritate loci & instantia laboris inducta potius, quam Orientalium perficere affectamus; quia procul dubio efficacius hac faciliusque natura, vel infirmitas exequitur Gallicana &c. In eodem Burgundiæ regno plura licet observare antiquissima Monasteria, velut Antissiodorensis sub Germano Episcopo Antissiodorensi; sancti Joannis Reomaensis in Episcopatu Lingonensi in territorio Tornodorensi sub Clodoveo I. Et circa eadem tempora sancti Sequani, Joannis Reomaensis discipuli in pago Segestrensi, & sancti Benigni Divionensis, cuius primus Abbas Eustasius. Ex prædicti verò Joannis Reomaensis vita, quam scripsit Jonas sancti Columbani discipulus in lib. I. cap. 3. hæc verba notanda. Eum Monasteria Gallia perlustrasse, ut ex singulis optima queque præcepta & regulas scilicet, & suis Monachis imitandas & servandas proponeret. Et in cap. 7. Macarij regulam suis tradere cœpisse. Circa eadem tempora apud Aurelianos Euspicius Vitudunensis Archipresbyter, adjuvante Clodoveo primo, celebre Monasterium fundavit in agro Miciacensi; cui postea ex ejus successore sancto Maximino nomen impositum fuit, Aimoinus lib. I. cap. 17. Possemus ei addere Luxoviense à sancto Columbanus Hiberno Monacho fundatum sub Sigeberto I. qui & Bobiense in Italia profugus fundavit; cuius discipulus sanctus Gallus celeberrimum apud Helvetios Monasterium instituit. Hæc sufficient ad comprobandum & antiquitatem & pietatem majorum nostrorum circa Religiosorum domuum liberalitatem & ædificationem.

Observandum verò ex locis supra relatis, primos illos Monasteriorum fundatores in Occidente suas institutiones & regulas partem ab Orientalibus Monasteriis repetiisse, partim etiam singulos Abbates pro modo ingenij, doctrinæ & peritiæ propriæ conscripsisse varias regulas; promptiores aliquando proprietatum inventorum custodiam exigere, quam examinatam majorum servare doctrinam. Qua de re conqueritur Cassianus lib. 2. cap. 3. sub finem, longè aliter quam per universam Ægyptum & Thebaïdem, ubi ait; *Monasteria non pro unius cuiusque renuntiantis instituuntur arbitrio, sed per successiones ac traditiones majorum usque in hodiernum diem vel permanent, vel permansura fundantur.* Rectissime tamen idem Cassianus in fine præfat. hoc temperamentum subiicit. *Vt ea quæ secundum Ægyptiorum regulam, vel pro asperitate aërum, seu pro difficultate ac diversitate morum, impossibilia in his regionibus, vel dura & ardua comprobavero in institutis Monasteriorum, que per Palestinam vel Mesopotamiam habentur, aliquatenus temperem;* quia si rationabilis possibilium mensura servetur eadem, observantia perfecta est etiam in impari facultate. Quod non tantum circa habitum, vestitum & victum servari debere idem vir elegantissimus observat lib. I. cap. 3. hac addita ratione, quia omnis sum-

ma nostri vestitus non in novitate habitus , qui possit offendiculum hominibus hujus faculi inferre , sed in honesta utilitate consistere debet. Sed etiam in orandi & psallendi modo temperandum esse docet lib. 2. cap. 5. & id debere statui ait , quod generaliter plenitudini fratrum sit possibile , in qua necesse infirmorum quoque partem maximam reperiri. Non valde dissimilia scribit Cassiano paulo antiquior Sulpitius Severus in Dialogis , in quibus Orientales Monachos cum Occidentalibus comparat.

Non immerito post Pachomij , Basilij & Hieronymi varia scripta super institutis & vita Monachorum , de quibus diximus , & quae ipse Cassianus in prefatione Librorum suorum commemorat , Cassianum ipsum annumerabimus , cuius scripta antiqui ferè omnes Monasteriorum Conditores veteres & novi ; potissimum verò , circa saeculum quintum sanctus Benedictus , accuratissime perlegerunt , & pleraque desumpserunt. Nec tamen omittemus , quae vulgo tribuuntur Regulæ Monachorum Hieronymo & Augustino , non ab illis fuisse scriptas , sed tantum quædam ex eorum scriptis decerpta fuisse. Nam & Lovanienses Doctores inter supposititia scripta numerant : etsi verum amamus , desumpta fuit illa magna parte ex epist. 109. ejusdem sancti Augustini , in qua formam & modum vivendi Sanctionalibus prescribit.

Sequitur ut de diversis speciebus Monachorum tractemus , de quibus in hoc toto tractatu saepius fiet mentio. Et quidem si præter supra citatos Hist. Eccles. Scriptores , consulamus S. Hieronymum epist. 22. Sulpitium Severum in Dialogis , Cassianum Collatione 18. & S. Benedictum in 1. cap. regula ; ex quibus omnes reliqui hauserunt , in quatuor genera dividemus.

Primum genus est eorum , qui in unum convenient , & vitam communem colunt sub Abbatibus & Præpositis & sub certa regula , nihil habentes proprium : qui & Cœnobitæ & Synoditæ vocari solent.

Secundum genus est eorum , qui contemplationis & majoris causa perfectionis vitam singularem in Eremo & secretioribus locis ab omni humana communione remoti degunt ; unde Anachoretæ , ἀναχορητæ , εγκλειστæ : recentiores Latini vocant Inclusos & Reclusos ; qui quidem de Cœnobitarum numero profecti , desiderio sublimioris profectus contemplationis que divinæ , solitudines sectantur , eamque vitam , non temere nec proprio arbitrio , sed Episcoporum & Abbatum suorum accidente consensu amplectuntur : Anachoretæ ut loquitur Cassianus , id est Successores nuncupati , eo quod nequaquam contenti victoria , qua inter homines occultas insidias diaboli caverint , aperto certamine & manifesto conflietu dæmonibus congregati cupientes , vastos Eremi recessus penetrare non timent. Et ut sanctus Benedictus loquitur eleganter , qui non conversationis fervore novitio , sed Monasterij protatione diurna didicerint contra diabolum , multorum solatio jam docti , pugnare , & bene instructi fraterna ex acie ad singulariem pugnam Eremi , securi jam sine alterius consolatione , sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum , Deo auxiliante sufficiunt pugnare.

Tertium genus est eorum , qui nulla regula approbati , fugientes obedientiam , Abbates & regulam ; bini , terni , aut quaterni habitabant ; & partem laboris aut bonorum in commune conferebant , partem subdu-

AD CAU. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 39

cebant & recondebant : quos his verbis eleganter cum veris Cœnobitis
comparat , & distinguit Cassianus Collat. 18. cap. 17. Illi nihil de crasti-
no cogitantes , gratissimos Deo sudoris sui offerunt fructus ; isti verò non
solùm in crastinum , sed etiam in multorum annorum spatia infidelem
sollicitudinem prorogantes , aut mendacem Deum (ignoscat ipse nobis)
aut inopem credunt , qui promissam quotidiani victus atque indumento-
rum sufficientiam præbere eis , aut non possit , aut nolit. Illi hoc omni-
bus expetunt votis , ut *antricōvny* , id est nuditatem omnium rerum pau-
pertatemque possideant ; isti ut omnium copiarum affluentiam consequan-
tur. Illi ob hoc certatim statutum transcendere Canonem firmis & diur-
nis operibus elaborant , ut quicquid Monasterij sanctis usibus redundaret,
vel Carceribus , vel Xenodochio , vel Nosochomio , vel indigentibus pro-
Abbatis dispensemetur arbitrio : isti ut quicquid quotidianæ superfuerit gulæ,
aut profusiori proficiat voluptati , aut certe Phylargyriæ vitio reconda-
tur. Quos Sarabaitas vocatos aiunt Ægypticæ linguae proprietate : quo-
niam ut ait Cassianus , semetipsos à Cœnobiorum congregationibus se-
questrarent , ac sigillatum suas curarent necessitates.

Quartum genus est eorum , qui vocantur Gyrovagi , qui Anachoreta-
rum similitudine sibi blandientes , vitæ monasticæ regulam , humilitatis
ac potentiaz jugum & imperium seniorum subire dedianuntur , sed expe-
tunt separatas Cellas , & solitarij sedere desiderant , ut à nemine lacessi-
ti , patientes , mansueti & humiles possint ab hominibus æstimari ; ideo-
que vocati Gyrovagi & Circumcelliones , quia ut ait sanctus Augustinus
in Psal. 132. circum Cellas vagantur : *solent enim ire has atque illas , nus- quam habentes sedes.* Et plenius in lib. de opere Monachorum cap. 28.
Tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersos ,
humani generis circumeuntes provincias , nusquam missos , nusquam fixos ,
nusquam stantes , nusquam sedentes. Alij membra Martyrum (si tamen
Martyrum) venditantes. Alij fimbrias & ephilacteria sua magnificant. Alij
parentes vel consanguineos suos in illa vel illa regione se audivisse vive-
re , & ad eos pergere mentiuntur , & ab omnibus petunt , omnes exi-
gunt aut sumptus lucrosæ egestatis , aut simulatæ sanctitatis ; cum interca-
ubicumque in factis suis malis deprehensi fuerint , vel quoquomodo inno-
tuerint , sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphem-
mantur , tam bonum , tam sanctum , quod in Christi nomine cupimus , ut
per alias terras , sic per totam Africam pullulare. Isidorus verò Hispanen-
sis sex genera Monachorum refert lib. 2. de divinis Officiis cap. 4. quæ &
ad illa quatuor reduci possunt. Nam circumcelliones eosdem esse cum Gy-
rovagis verius est : & Eremitæ iidem sunt cum Anachoretis ; loco po-
tiùs quàm vitæ genere distincti ; quos Latini nostri Inclusos & Reclusos
vocant , qui olim in Occidente frequentes fuerunt , ut constat tam ex dia-
logis Gregorij Magni Papæ , quàm Greg. Turonensis , Vitis Patrum , aliis-
que Scriptoribus.

Duplicis verò generis erant hujusmodi Eremitæ. Vel enim post longa
sanctoris vitæ experimenta in Monasteria prodita , permisso Episcopi &
Abbatis in aliqua Cellula , in ipso Monasterio includebantur , vel seorsim
in cella à Monasterio separata degebant ; & utrisque de Monasteriis , in
quibus manserant , ad victum necessaria suppeditabantur : qui quidem ab

omni habitu & conversatione & hominum & Monachorum secreti vivebant. De his notandus 22. *canon* Concilij Aurelianensis primi, & *canon* 12. Concilij Francfordiensis sub Carolo Magno his verbis. *Vt Reclusi non fiant, nisi quos ante Episcopus provincia atque Abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in Reclusionis locum ingrediantur.* Et ut saepius supra diximus, *τύχαντοι, κινηται*, id est Columnarij, notissimi in Hist. Eccles. tam apud Græcos Scriptores Historiæ Eccles. quam apud S. Chrysostomum, Theodoretum, Palladium & reliquos; de quibus plenissimè agitur in Synodi VI. in Trullo *can. 41.* Vide Zonaram & Balsamonem. Et in *can. 42.* ejusdem Synodi condemnantur Circumcelliones & Gyrovagi quidam Eremitæ, qui nullo vitæ religiosæ experimento comprobati, circumcursabant, quos jubet Synodus tonderi, & reliquorum Monachorum habitum & tonsuram suscipere.

Ex iis itaque colligimus duas tantum Monachorum species veras & usitatas recenseri Cœnobitas, qui in communi vivunt sub Abbe & Regula, nihil proprium habentes; & Anachoretæ, qui post probationem plurium annorum Episcopi & Abbatis consensu vitam solitariam, ut diximus, amplectuntur. Reliquæ duæ species reprobantur & reiciuntur, nempe Sarabitarum &, ut diximus, Gyrovagorum. Unde sicut in Canonibus, ita & in Legibus Imperatorum Christianorum duæ tantum species Monachorum memorantur, Cœnobitarum, quos & Synoditas appellant; & Anachoretarum *L. 57. Cod. Theod. de Appellationibus, Lege 16.* & *57. codem Cod. de pénis, & in Lege 6. Cod. de Episcopali audiencia & in Lege 52. Cod. de Episc. & Clericis*, in qua separantur Monachi à Clericis, & notantur Divagantes Monachi. Item in *L. 53. raptorez eodem sit. Monasterij vel Asceterij fit mentio, non distinctionis, sed explicationis causa;* sicut Ascetæ & Monachi pro iisdem appellantur passim; & *άσκησις & μοναστική, πενιτεία, sive φιλοσοφία permixtim sumitur.* Unde in *Novella Majoriani de Sanctimonialibus*, Monachismus vocatur *observatio Philosophiam religiosam suscipiens.* In tit. verò 3. lib. 16. *Cod. Theod. L. 1.* Omnes omnino Monachi ab urbibus facescere jubebantur: quod tamen eis posteà remisum *Lege 2. codem sit.* Proprium enim est Monachorum captare secreta & solitudines *Lege 26. Cod. de decurionibus.* Unde vulgatum illud sancti Hieronymi. *Quid facit Monachus in urbibus?* Primum autem S. Basilium de solitudine Monachos in urbes deduxisse, & Anachoretas cum Cœnobitis conjunxisse, in ejus vita scribit S. Greg. Nazianz. *Cum igitur solitaria vita, & ea qua societate gaudet, ut plurem inter se dissiderent ac pugnarent, ne traheret omnia vel commoda vel incommoda sua plura & non permixta haberet; verum illa quidem magis tranquilla & composita esset, ac Deo animos copularet; ceterum ob eam causam fastu non careret, quia virtus non exploraretur, nec in comparationem veniret; hac autem (id est Cœnobitica) magis quidem actuosa & utilis esset, verum à tumultibus miseris libera; præclarè eos inter se resonciliavit ac permiscauit, pietatis Asceteria & Monasteria extruens, non longo tamen intervallo ab iis, qui in solidatio vivunt, remota, nec velut muro quodam interjecto ea distinguens, atque à se invicem separans; verum propè conjungens, ut nec contemplatio communicationis indigeret, neque vita Cœnobitica contemplationis: sed quemadmodum terra & mare, ita etiam he dua vita commoda sua inter se comunicantes,*

AD C. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 41
municantes, ad unicam Dei gloriam concurserent. Quod & ante sanctum
Basilium præstitisse sanctum Athanasium scribit idem Gregorius Orat. 21.
Denique hunc Tractatum concludere possumus verbis Cassiani Collat. 18.
cap. 7. in fine: *Hodie Cœnobiorum disciplinam, qualem apud veteres vi-
guisse scripsimus, rarissimam occurtere; Anachoretarum vero apud pios vix
nomen auditum. Distini enim plurimum ab Anachoretis, qui vulgo no-
men Eremitarum affectant, absque ulla probatione & experimento religiose
vita; sed potius adscribendi sunt Gyrovagis & Circumcellionibus.*

AD QUÆSTIONEM I.

Cause decimasextæ.

IN explicatione hujus questionis, quæ latissimè diffunditur (contine-
re 68. Canones) ita procedemus, ut primò Gratiani methodum ape-
riamus. Et quoniam interest plurimùm singulorum autores Canonum &
tempora scrutari, quos sëpissime Gratianus absque ullo delectu congerit,
singulos Canones ad suas origines revocabit, quantum licebit; hoc
scilicet ordine, ut primò annotemus quæ ex Conciliis generalibus vel par-
ticularibus desumpta sunt. Secundo quæ ex Summorum Pontificum Decretis.
Tertio quæ ex Scriptis Patrum. Quarto quæ ex Legibus. Postremo apocry-
pha, id est quæ vel dubiæ sunt fidei, vel quorum Autores incerti sunt &
falsi. Quibus breviter præmissis, in singulis questionibus excutiendis ad
Gratiani ordinem & methodum revertemur, adhibita etiam obscuriorum
Canonum interpretatione.

Gratianus more solito proponit facti cuiusdam fictam narrationem,
quam vocat *Causam, controversiam, sive thema*, in quo septem quæstio-
nes vel articulos difficiles includit; & ad faciliorem singulorum inter-
pretationem septem *Quæstiones* separatim subiicit, & examinat, hac
methodo ac forma, ut singulis in utramque partem disputatis, & relatis
integris capitibus Canonum & locis Patrum, quod sibi probabilius videa-
tur, decidit; illamque decisionem pluribus locis & Canonibus allatis con-
firmat, & quod in contrarium attulerit, qua valet arte & industria, re-
soluit.

Antequam vero hujus *Quæst. I.* tractatum aggrediamur, & singulorum
Canonum interpretationes attingamus; maximi momenti videtur esse
& propè necessarium, breviter indicare Autores, fontes & origines
singulorum Canonum; non quidem secundum ordinem, quo referuntur
singuli, sed secundum eam, quam diximus seriem; ita ut primum locum
Conciliis; secundum Decretis Summorum Pontificum; tertium Scriptis Pa-
trum, quartum Legibus Imperatorum tribuamus. In ultimum ordinem
reiiciemus Canones incertos & dubiæ fidei, v. g. qui ex apocryphis
Scriptoribus & incertis Autoribus desumpti fuerunt, & in singulis ordi-
nibus temporum seriem sequemur.

Ex Conciliis generalibus sumpti sunt *Canones* 12. & 16. ex Concilio
Chalced. sub Martiano Imperat. & Leone Magno anno Christi 451. Ca-
non 64. ex Concil. VII. Can. 4. sub Constantino & Irene & Hadriano I.
an. 787.

Ex particularibus verò Conciliis desumptus **Canon 33.** Ex Concilio Agathensi sub Alarico an. 506. **Can. 35.** ex Taraconensi an. 507. **Can. 34.** ex Ilerdensi an. 524. **Canon 43.** quod Cabilonensi Concilio, & 46. quod Moguntinensi Gratianus tribuit. Extat hodie **Canon 43.** in Arelatensi V I. **Can. 20.** an. 813. & iisdem verbis repetitur in Moguntino sub Arnulpho an. 888. & **Canon 46.** extat in Cabilonensi **Can. 19.** sub Carolo Magno an. 833. **Canon 16.** ex Concil. Triburiensi sub Arnulpho an. 895. & **Canon 44.** ex quodam Concilio Vormaciensi **Can. 6.** ut refert Burchardus Vormaciensis Episcopus. Ignotum nobis, quo tempore convocatum.

Plures verò Canones hujus Quæst. ex decretis Summorum Pontificum fuerunt quidem desumpti, quos similiter ordine temporum connectemus: **Canon 29.** ex Syricio: **Can. 3.** ex Innoc. I. **Canon 19.** ex Leone I. **Canon 15.** 28. & 31. ex Gelasio; non ascripto primo an 2. itidem **Canon 18.** & 20. Pelagio I. vel II. nec enim de eo constat. Plures verò Canones, nempe 2. 13. 14. 32. 37. 38. 39. & 48. ascribuntur Greg. I. **Can. 25.** Bonifacio IV. **Canon 23.** & 24. Greg. quidem Papæ, sed recentiori tribuendi videntur: **Canon 11.** Alexandro II. **Canon 9.** & 47. Paschali II. **Canon 10.** Calixto II. **Canon** verò 22. qui tribuitur Innocentio, si propriis inspiciamus rem & verba, Innocentio II. tribuendus est; & **Canon 8.** videtur pariter Eugenij II. quamvis numerus non sit ascriptus.

Ex scriptis verò Patrum **Canon 4.** 5. 6. 7. 26. & 27. ex sancti Hieronymi Libris desumpti sunt; **Canon** verò 30 & 36. ex sancto Augustino.

Ex apocryphis verò & dubiæ autoritatis Scriptoribus sumpti fuerunt **canon 1.** quem falsò Gratianus existimaverat desumptum ex Concil. I. Oecumenico; & ideo honoris causâ statim in limine hujus Quæst. præposuerat: quamvis nec in Concil. Nicæno I. nec in II. reperiatur. Item **canon 21.** falsò tribuitur sancto Ambrosio; sicut & **canon 41.** Clementis I. suppositis epistolis, & **canon ult.** falsò sancto Hieronymo tribuitur, ut Correctores Romani notaverunt.

Ex Legibus verò Imperatorum retulit **canonem 40.** & hodie extat in *Cod. de Episc. & Clericis Lege* 52. quæ malè tribuitur Leoni & Gratiano, cum sit Justiniani, & ad eundem Canonem aliarum legum autoritatem citat Gratianus.

Hactenus Autores Canonum hujus Quæst. i. recensuimus usque ad **canonem 48.** à quo usque ad finem hujus Quæst. diversi argumenti Canones proponuntur, quorum explicationem omittemus, duobus exceptis 64. & ult. in quibus aliquid de Monachis inseritur. Universam verò Quæst. Gratianus in sex partes dividit, quas sigillatim suis locis interpretabimur. Prima pars incipit à **can. 1.** usque ad **can. 21.** in qua prima parte quæritur, utrum Monachis liceat populis Officia celebrare, pœnitentiam dare, & baptisare. Et quidem *duodecim primis Canonibus*, quos ipse refert, significare videtur Gratianus non posse Monachos Ecclesiis Parœcialibus præfici: ad finem verò **canonis 12.** solutionem hanc afferit ad **can. 1.** prohiberi quidem Monachos de Monasteriis exire, & more Clericorum ad exequias cuiuslibet celebrandas concurrere & confluere; cæterum si apud Monasterium aliquis elegerit sepulturæ locum, non esse prohibendum. Quod confirmat **can. 13.** 14. & 15. Canonis verò 16. & 18. longè alia est sententia, quam arbitretur Gratianus. In **can. verò 19.** ad reliquos Cano-

nes, qui obstat videbantur, hac distinctione adhibita respondet. *Quamvis Monachi in dedicatione sui Presbyteratus, id est quando Presbyteri ordinantur, sicut & ceteri Presbyteri, baptizandi, predicandi, pœnitentiam dandi, peccata remittendi, &c. vim & potestatem accipiant, ut amplius & perfectius agant ea, quæ sacerdotalis sunt officijs; illius tamen potestatis executionem, exercitum & administrationem non habent, nisi à populo fuerint electi, & ab Episcopo cum consensu Abbatis ordinati.* Subdit verò, quod maximè notandum: *Ecclesiasticas atque sacerdotes actiones attingere prohibentur, ut non presumant sibi causarum patrocinia, nisi ab Episcopo commissari fuerint; nec secularibus causis occupentur, ut resideant cognitores litium dirimendarum.* Quod confirmat can. 20. cuius explicationem infra proposui.

In secunda verò parte à can. 21. usque ad can. 37. pluribus Canonibus probare nititur, Monachos officiorum Clericalium administrandorum & habere potestatem, & exercere posse; itemque quales ex Monachis, quibus conditionibus, & quibus ex causis ad hujusmodi officia Clericalia debeat assumi, accedente tamen priùs, ut diximus, Episcopi & Abbatis consensu. Et hæc usque ad can. 37. Quod & pluribus autoritatibus confirmat ad can. 39. & 40. ubi hanc distinctionem affert. Si Monachus, quatenus est Monachus tantum, simpliciter consideretur, & nullis ordinibus decoratus, ei non licet ea tractare, quæ sunt Clericorum: si verò Monachus ad ordines promotus, in Clericalem militiam fuerit ascriptus; tunc quoniam ut verus Clericus spectatur, ea quæ sunt Clericorum peragere poterit. Nec enim aliud in eorum consecratione perficitur, quam in aliorum, qui non sunt Monachi. Concludit verò in notis ad can. 40. in fine, absque Episcoporum licentia non solùm Monachis, sed etiam omnibus Clericis generaliter potestatis interdici executionem. Qua in re, ut deinde dicemus, potius spectavit ad usum suorum temporum, quam ad tempus & disciplinam Ecclesiarum quæ obtinebat, quando Canones quos ipse refert promulgati fuerunt.

Extra ordinem tamen ait, Monachos etiam nec promotos ad Ordines, aliquando divina gratiâ intus commonitos, id est Spiritu sancto inspirante, docendi munus assumpsisse. Quod exemplis Equitij & sancti Benedicti confirmat, qui prædicandi & docendi munus, cum tantum essent Monachi, aliquando sumpererunt, ut constat ex dialogis S. Gregorij. Quod verò notat ad dictum can. 39. ex Historia Eccles. usque ad tempus Eusebij, Zozimi & Syricij (prior hic, ille posterior ætate) Monachos simpliciter & non Clericos fuisse (quam in rem utitur autoritate sancti Hieronymi) explicatione indiget. Quamvis autem Monachi fuerint consecrati, non poterant tamen à primo proposito recedere, ut idem Gratianus notat ad can. 39. ex autoritate can. 3. hac Quest. Et hæc est brevis summa eorum, quæ in 1. 2. & 3. parte hujus Questionis proponuntur; ad quorum intellectum necessaria est progressus istius Juris planior explicatio.

Observavit rectè Gratianus Monachos ad Clericalia munera & officia non posse admitti, nisi priùs in Clerum asciti fuissent. Sunt enim diversa proposita & vivendi instituta Monachatus atque Clericatus. Clericus constitutus est ad præsidendum, regendum & deserviendum Ecclesiarum &

omnibus fidelibus : Monachi vero ad obediendum & vitam singularem, secundum pietatem & summam Philosophiam Christianorum, in propriam utilitatem ponendam. *Alia*, inquit sanctus Hieronymus de seipso loquens, *Monachorum est causa, alia Clericorum.* Clerici pascunt oves : ego pascor. Illi de altario vivunt : mihi quasi infructuosa arbori securis ponitur a radicem : quamvis certe, ut loquitur in epist. ad Ioannem Hierosoly. & pisc. Clericatus honore non debeant Clerici abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei & observatione diligentissimam niti hoc esse quod dicuntur, dicti Ieremij cap. 12. memores, Cleri eorum non praderunt eis : (in quem locum Origenes: *Nosse debetis non statim in eo esse salvandos, quia Clerici sunt ; multi enim & Presbyteri pereunt, & Laici beatissimi reperiuntur*). Utiliter tamen in Ecclesia paulatim conjungi coepit Monachatus cum Clericatu, & vice mutua cum Clericatu Monachatus. Quod primum in Aegypto, duce & autore Athanasio magno, introductum, qui plurimos summam pietatis & eruditionis Monachos è solitudinibus & eremo in civitates & urbes extraxit, refugientes & invitatos non tantum sacris ordinibus initiat, sed etiam plures ad sumnum Episcopatus apicem cum summo populorum applausu promovit, ut ipsem memorat in elegantissima epist. ad Dracontium Abbatem, qui juraverat se nunquam Episcopatus dignitatem suscepturnum, & quem Electum in Episcopum Monachi fere omnes deterrere conabantur, quibus ita responderet. *Ne igitur te impediant Monachi, quasi solus adhuc ex Monachis constitutus fueris Episcopus ; neque excusationem hanc pretendas, quasi te ipso deterior sis futurus : poteris enim etiam melior fieri.* Et Paulum Apost. imiteris & Sanctorum facta amuleris : nosti enim eos, qui ita creati sunt dispensatores mysteriorum, magis ad scopum collimare, ut bravum supra vocationis obtineant. Quando Paulus contestatus est, & coronam se accepturum expectavit, nisi cum missus est ad docendum? Et postea. *Quia propter cum istiusmodi habeas exempla, dilectissime, ea diligere debes. Nec dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum esse causam peccati, aut quod inde nascatur occasio delinquendi. Licebit tibi in Episcopatu esurire, sitiare, &c. Sicut Paulo licuit ; & vinum non bibere, ut Timotheus fecit ; & jejunare frequenter, ut Paulus solet : ut ita secundum illum jejunans alios sermonibus enutriat, & sitiens abstinentia à potu aliis doctrinæ præbeat.* Perinde ac si diceret Athanasius Monachum ad Episcopatum promotum, monasticæ vitæ austeritatem posse retinere : ut & contra Episcopi, qui non fuerunt Monachi, possunt tamen in Episcopatu monasticæ vitæ formam & disciplinam imitari, & communem cum suo Clero vivendi formam servare, sicut de Eusebio Vercellensi Ambrosius in epistola 82. loquitur. *Hoc primus in Occidentalibus partibus diversæ inter se Eusebius sancta memoria conjunxit, ut & in Civitate positus instituta. Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunij sobrietate. Multum enim adjumenti accedit ad Sacerdotis gratiam, si at studium abstinentia & normam integratatis juventutem astringas, & versantes intra urbem abdices usu urbis & conversatione. Et iterum. Hac igitur patientia in sancto Eusebio Monasterij coaluit usu, & durioris observationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque hac duo in attentiore Christianorum devotione praestantiora esse quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum instituta : ista ad comitatem & moralitatem discipli-*

ne: illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hec velut in quodam theatro; illa in secreto Spectatur ista; absconditur illa Exemplo Eusebij & Ambrosij sanctus Augustinus à Possidonio dicitur Monasterium induisse in Ecclesiam, id est in Clero suo, sicut in Monasteriis, vitam communem Clericis suis observandam proposuisse, abdicatā omni proprietate; nulla licet præcisè necessitate imposta Clericis refractariis, qui privatim & seorsim vivere præoptabant, etiam sportulis & diariis illis separatim & extra communitatē administratis, ut constat ex ejusdem sancti August. Sermonibus duobus de vita conemuni Clericorum. Et ab iis exemplis renovata est origo & institutio Clericorum, sive Canonicorum, quos Regulares vocamus, qui diligenter sunt à Monachis separandi.

Ex his itaque observamus in Aegypto primum sub sancto Athanasio Monachos promotos fuisse ad Ordines; imo & ad Episcopatum. Quod post sanctum Athanasium & in Aegypto & per totum Orientem frequentari cœpit, ut constat ex Hist. Eccles. & pluribus sancti Hieronymi locis, & ex lib. 3. S. Chrysost. de Sacerdotio. Quin & ipsum sanctum Chrysostomum non tantum antiqui & recentes ejus vitæ Scriptores ex numero Monachorum ad Episcopatum Constantinopolitanum evectum fuisse testantur; sed etiam loco valde singulari Justinianus notavit in edito celebri de fide, in V. Synodo composito & promulgato, quo loci ait, Joan. Chrysostomum cum Theodoro Mopsuestiæ posteà Episcopo, in eodem Monasterio simul vitam monasticam coluisse; cuius sodalitatis memor eundem Theodorum, lapsum à proposito, duabus elegantissimis exhortationibus revocare nititur, ut ex fine secundæ exhortationis constat, ubi ait. *Speramus quod iterum te videbimus, iterum te in grege Christi &c.* *tomo 4. pag. 674.* Ex Monachis autem electos fuisse Clericos etiam primis Ecclesiæ temporibus constat ex Lege 16. Cod. Theod. de pœnis in fine, quæ est Arcadij & Honorij, his verbis. *Ex quorum numero, si quos forte sibi deesse arbitrantur, Episcopi scilicet, Clericos ordinabunt.* Quæ pars reperitur pleniùs in Lege 32. cod. Cod. Theod. tit. de Episcopis & Clericis. Imò & Justinianus Novell. 6. nominatim constituit ut Episcopus assūmatur vel ex Clero, vel ex Monasterio, & Novell. 133. cap. 1. & 2. in quibus duabus Novellis ferè universus status Monachorum explicatur.

Quod pertinet ad Occidentem, quia sicut diximus, monastica & Cœnobitica vita paulò tardiùs, quam in Oriente recepta & comprobata est, consequens etiam fuit tardiùs in Occidente ex Monachis Clericos eligi. Quare antiquiores super ea re nullos Canones reperimus, quam Syricij can. 29. & Innocentij I. can. 3. hac Quæst. nostra: frequentissimi vero occurserunt SS. Pontificum recentiorum canones in eam rem, de qua Gratianus Zozimum Pontificem laudat, nempe alicubi ad can. qui Ecclesiasticis Dist. xxxvi. & ad can. 2. Dist. lix. in quibus licet nulla fiat mentio Monachorum, verum tamen est, Zozimum nominatim etiam de Monachis idem cavisse: sed Gratianus Monachus detraxit ea, quæ paulò asperiora videbantur. Scribebat Zozimus ad Hesichium Episcopum Salonitanum circa annum 416. *Exegit dilectio tua preceptum Apostolica Sedis, in quo Partum Decreta consentiunt, & significas nonnullos ex Monachorum casus, quorum solitudo quasi frequentia major est, sed & Laicos ad Sacerdotium:*

festinare. Hoc autem specialiter & sub predecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat &c. Ut videre est in integris decretis ejusdem Zozimi. In quam etiam rem S. August. can. 30. & 36. hac C. & Quæst. imò & Basilius Magnus in Constitutionibus monasticis cap. 9. nul'a ratione convenit Monachum vel Clericatum vel Dignitates desiderare : diabolus est enim morbus & ambitus crimen &c. Et pluribus in cap. 24. Ex quibus dictum Cassiani confirmatur in fine lib. 11. Hæc est antiqua Patrum permanens nunc usque sententia, quam proferre sine mea confusione non potero, qui nec germanam vitare potui, nec Episcopi evadere manus, omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos. Neuter enim sinit eum, quem semel familiaritati sua devinxerit, vel quieti cellula ulterius operam dare, vel divine theoria per sanctorum rerum intuitum purissimi oculis inherere. Qua in rem vide Cassianum cap. 14. 15. et 16. dicti libri 11.

In Gallia verò nostra vitæ monasticae primum autorem sanctum Martini ostendimus, qui ad Archiepiscopatum nostrum Turonensem communibus Populi & Cleri suffragiis invitus à Pictaviensi Monasterio per tractus fuit, ut ex Sulpitio Severo constat in ejus vita ; qui plures ex Monachis, qui sub Archiepiscopi Martini disciplina vixerant, postea Episcopos petitos ait. Quæ enim, ut ipse Seu. Sulpitius subiicit, esset civitas & Ecclesia ; quæ non de sancti Martini Monasterio cuperet habere Sacerdotes ? Circa eadem ferè tempora, & adhuc Martino vivente, sanctus Honoratus, qui prima, ut diximus, in Insula Lirino vitæ monasticae fundamenta jecerat, Arelatensis Episcopus postea fuit constitutus, & ex eodem Cœnobio pariter ejus successor sanctus Hilarius, Lupus Episcopus Trecensis, Eucherius Lugdunensis Episcopus, Maximus & Faustus Rejorum Episcopi in Narbonensi II. Unde Eucherius ipse epist. de laude Eremi ad Hilarium, ita loquitur. De illa insula digna, quæ cœlestibus disciplinis, Honorato autore, fundata sit, quæ tantis institutis, tantum nascit Patrem. Apostolici Spiritus vigore et honore radiantem ; digna, quæ illum suscipiens ita emitteret ; digna, quæ prestantissimos alat Monachos, et ambiendos proferat Sacerdotes.

Ex quibus confirmatur aliquando ex Monachorum numero perfectissimos post accuratissimam Episcoporum inquisitionem, & accedente Abbatis consensu, quoties Clerici deessent, vel Ecclesiarum necessitates exigenterent, in Clerum adscriptos fuisse. Quod & pluribus can. relatis in hac Quæst. manifestè confirmatur ; ex quibus colligitur paulatim & per partes Monachis concessa fuisse, quæ sunt Clericalis Officij propria. Et quidem primum in eorum Monasteriis, in quibus scilicet erant ædificata Oratoria (nam & quædam olim erant Monasteria, in quibus nulla Oratoria sed cum reliquis fidelibus in Ecclesiis conveniebant Monachi) Ordinabatur Presbyter vel ex Clericorum, vel ex Monachorum numero, qui eis Sacra menta administraret can. 8. Chalced. Quales ordinatos fuisse constat ex epist. sancti Hieronymi 60. et 61. colligitur. Missas etiam & sepulturas in Monasteriis celebrari permiserunt aliquando SS. Pontifices, inter quos primi Gelasius & Gregorius Magnus videntur, ut constat ex can. 13. 14. et 15. Et quidem ad can. 12. et 16. rectè notat Gratianus : Si quis fidelium apud Monachos sepulturam sibi feligere voluerit, libere à Monachis posse sepelixi. Quod ex indulgentia & privilegio speciali à Gelasio & Greg. I. con-

cessum videtur. Anteā enim prohibitum, ut constat ex can. 1. *hac nostra C. et Quæst.* & ex veteri disciplina Monachorum, quam explicimus. Quare & iterūm prohibitum in can. 8. *hac C. & Quæst.* cuius autor videtur Eugenius II. & ita quod placuerat Gelasio & Greg. I. Eugenio II. disciplinuit; nec temerè, sed juxta veterem disciplinam Ecclesiæ; nempe intra Monasteria & Clastra Monachos coercuit secundūm Concilij Chalced. generalis Canones 4. & 23. quibus Monachi ab omnibus officiis & administrationibus Ecclesiasticis prohibentur; nisi forte his præceptum fuerit propter opus necessarium ab Episcopo eis commissum. Quod & probatur tam ex can. 17. *hac Quæst.* qui ex Chalced. Concilio desumptus est, quām ex iribus s̄eqq. in quibus Girovagi & circumcursantes Monachi per urbes, vicos, & castella coercentur, & gravissimè castigantur ab Episcopis, aut Ecclesiarum Defensoribus. Et notandum illos quidem Canones Chalced. ad suggestionem & petitionem Imperatoris Martiani editos fuisse à Patribus, ut constat ex *actione* 6. Chalced. Concilij. Et de hujusmodi Monachis unum sanctus Hieronymus vocat, *Veredarium urbis, inter seculares Monachum, inter Monachos secularem.* Et alium, *Monachum de trivio, de compitis, de plateis, circumforaneum et rumorigerum, & in ep. 34. & 51.* Et adversus eosdem Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 14. Et hos Canones relativos adversus Monachos sui propositi immemores Patres & Concilia saepius in usum redixerunt: imò & ipsi Summi Pontifices saepius instaurarunt adversus arrogantiam & præsumptiones Monachorum, ut constat tam ex dicto can. 8. Eugenij II. quām ex *decretis* Alexandri II. Paschalis II. & Callixti II. relatis in can. 9. 10. & 11. *hac Causa & Q.* quibus constitutum ne Monachi & Abbates præsumerent baptisare, prædicare pénitentiam & remissionem peccatorum dare, decimas percipere, infirmos visitare, unctiones facere, Missas publicas cantare; nisi de proprii Episcopi licentia, vel speciali Sedis Apostolicæ autoritate. Et præterea jubentur Chrisma, oleum & consecrationes altarium & Ordinationes Clericorum ab Episcopis accipere, in quorum Parœciis, seu Diœcesibus morantur. Quæ non tantūm de Monachis, qui nullis Ordinibus sunt insigniti, sed etiam ad Ordinatos pertinent; sicut & agnoscit Gratianus ad can. 19. *hac nostra Quæst.* qui canon sumptus est ex epist. 63. S. Leonis an. 450. ad Theodoretum Episcopum Cyri (malè Cypri inscribitur, quæ urbe a Cyro conditore denominata, quæ in provincia Euphratensi, Persidi vicina & subdita Antiocheno Patriarchæ. Scripsit verò illam epistolam S. Leo ad Theodoretum statim post Concilium Chalcedonense, in quo Monachi, sicut diximus, ad veterem disciplinam, à quā recesserant, revocantur. Quod & in fine dictæ epist. confirmat, cujus verba referuntur in dicto can. 19. in quo legendum ex dicta epistola, *quorumdam Monachorum regionis vestre, non Religionis, ut vulgo male.* Illustratur autem valdè dicta Leonis epist. Theodoreti ep. 10. ad Leonem, & ejusdem epistolis 116. 117. 118. 119. & 121. tomo 3. Operum Theodoreti. Apertissimè idem sanctus Leo epist. 62. ad Maximum Antiochenum his verbis: *Illud quoque tuam dilectionem convenit praecavere, ut preter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi jus docendi & prædicandi audeat vendicare, sive sit ille Monachus, sive sit Laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur; quia et si optandum est ut omnes Ecclesia filij, qua recta sunt & sana sapiant;*

non tamen permittendum est, ut quisquam extrà Sacerdotalem Ordinem constitutus, gradum sibi predictoris assumat; cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore & excelentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non insultent. De presumptiōibus hujusmodi Monachorum eo tempore recentissima exempla Eurychetis Abbatis Constantinopolitani & ejus Monachorum, & multo anteā similia notaverat sanctus Epiphanius in *expositione fidei* tomo i sub finem; quorundam Monachorum scilicet, qui etiam nullā susceptā manus impositione & ordinibus ab Episcopis, audēbant tamen sacrificium Missæ celebrare, concionari & prædicare. Exceptionem addimus ex ipso Concilio Chalced. nisi Episcopi permitti ad Ordines promoti fuerint, ut in propriis Monasteriis, vel etiam in aliis Ecclesiis & Parœciis Clericalia munera & officia corām populis celebrent *can. 31. & 33. hac C. & Q.* Unde rectè Gratianus ad *can. 19.* observat Monachos, etsi in dedicatione Presbyteratus sui; sicut & Sacerdotes cæteri, baptisandi, prædicandi, pœnitentiam dandi, peccata remittendi, & beneficiis Ecclesiasticis ritè perficiendi potestatem accipiunt; executionem tamen potestatis illius non habere, nisi ab Episcopo & populo cum consensu Abbatis fuerint electi: quod pluribus Canonibus hujus *Quæst.* confirmatur, maximè verò *can. 21. 23. 24. 25. & seqq.*

Quantūm verò pertinet ad Ecclesiasticas administrationes, vel temporales actus & gestiones, quæ Clericis deferri solent, v. g. Oeconomi & Defensoris in Episcopatibus & Ecclesiis munia, Monachis non nisi præcedente dispensatione, & quidem rarissimè permittebantur: quam in rem elegantissimus est *canon 20.* de Defensore Ecclesiæ in *hac Causa & Quæst.* cui jungi debet *Canon 8. C. I. Q. 3. & Canon ult. Dist. LXXVII.* Quale verò esset Officium Defensoris, præcipue in Ecclesia Romana, & in dictis Canonib; & maximè in *can. 20. hac Causa & Quæst.* explicatur, & pleniū Baronius explicavit ad *annum 508. numero 16. & 17.* & Onufrius in *explicatione obscuriorum vocum.* Ecclesiæ nempe Defensores hujusmodi à Pontificibus Romanis mittebantur in varias provincias, in quibus Ecclesia Romana amplas possessiones obtinebat, cum summa autoritate, nec tantum ad bonorum administrationem, sed etiam ad autoritatem in Clericos & Monachos, ut ex supra dictis locis constat. Quin & illius Officij prætextu plura solebant usurpare adversus Episcopos, eorumque autoritatem imminuere. Qua de re sæpè conquerebantur, ut constat ex *epist. Gregorij lib. 9. Regestis 32. 33. 34. & 35.* Cui Defensoris officio ab initio Laici, posteā verò ex Clero, potissimum autem ex Ordine Subdiaconorum vel Diaconorum aliquis præficeretur, ne per Laicos res & negotia Ecclesiastica dissiparentur & distraherentur. Hujusmodi verò Defensorum frequens occurrit mentio in Legibus & Canonibus, qui quidem in singulis Episcopatibus constituebantur, & in locupletioribus Monasteriis; quales posteā Synodici & procuratores. In Episcopatibus autem, ut diximus, ad hujusmodi Officium Monachi non admittebantur: proprij tamen Monasterij procurator, susceptor & executor jussu Abbatis Monachus constitui potest *can. 35. hac C. & Q.*

Quod verò pertinet ad Clericales functiones, vel in Ecclesiis Parœciis, vel in Oratoriis, Capellis, & aliis locis extrà Monasteria peragen-das

AD C. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 49

das à Monachis, accedente Episcoporum & Summorum Pontificum speciali concessione & indulgentia & Abbatum consensu, eas permissas fuisse constat, sicut & perceptiones Decimarum, Primitiarum, Oblationum & reddituum reliquorum; quamdiù nempe in ministeriis hujusmodi Monachi perseverant, probaturque pluribus *can. hujus C. & Quest. 21. 23. 24.*
25. & seqq. usque ad can. 40. In dictis tamen Canonibus sapius admonentur Episcopi adhibere inquisitionem accuratam, nec quoslibet Monachos adhibere in Clerum, & plebibus præficere; sed eos tantum, quos morum gravitas ac vitæ & fidei institutio sancta commendat, ut loquitur S. ricius in *can. 29.* Quam in rem notandi sunt S. August. *can. 30.* &
36. in quo *can.* hæc verba notanda: *Cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit sufficiens continentia, & desit tamen instructio necessaria aut persona regularis integritas.*

Observandum verò ex *can. 30. & 38.* Monachos ad Clericatum & Episcopatum, extrà Monasterium promoto, nullum amplius commodum & utilitatem percipere debere, de quo electi & promoti fuerunt; ut & patiter Clerici semel electi in Abbes nihil amplius possunt in Ecclesia, ad quam ordinati fuerant, compendij & utilitatis accipere, sed ex matricula & Canone Clericorum expungebantur. Quod & suprà in *can. nemo 2. bac C. & Qu. confirmatur.* Qui tres Canones autorem habent Gregorium I. cuius integras epistolas consulere præstat ad pleniorum intellectum, quem Glossa non assequitur. Vetus enim est morbus in Ecclesia jam inde à temporibus Greg. I. ut Clerici & Episcopi venarentur & ambirent Abbatias, quas cum Ecclesiis & Episcopatibus simul retinere contendebant. Quos Canones non malè Gratianus ad *can. 36.* secundum sui temporis usum nostrique, intelligendos esse ait de iis, qui in numero Cardinalium vel Episcoporum ordinati, Monasterij tamen sui dispensationem, vel dignitates Ecclesiarum administrationemque & redditus sibi retinere contendunt. Quod ferendum non esse ex *dictis Canon* ait idem Gratianus: ideoque ut huic iretur incommodo obviam, fundatores Monasteriorum in fundatione hanc conditionem apponebant, *ne Abbas in Episcopum eligi posset can. 39. bac C. & Q.* qui Canon ex lib. ii. Regist. Greg. I. ep 10. petitus est, cuius Gratianus Summam tantum brevem suis verbis confecit usque ad verba, *quod privilegium.*

Diximus verò Monachis ad Clericatum promotis, & ab Episcopis constitutis in Ecclesiis, ratione Officij & muneris, quo funguntur, redditus Ecclesiasticos, Decimas, Primitias & Oblationes solemnes, ut reliquis Clericis, jure deberi *can. 11. 21. 22. & 23. bac C. & Qu.* dummodo tamen extra Monasteria positi in ipsis Ecclesiis consistant. Utrum verò Monachis, Presbyteris & Clericis, quibus populus ad regendum non committitur, Decimas dare vel eis sit licitum accipere, & quo tempore permisum, & quibus casibus; difficilior occurrit quæstio, quam Gratianus in iv. parte istius quæstionis tractat, nempe à *can. 42. & seqq.* usque ad ultis insertis pluribus Canonibus, qui aliò pertinent. Ratio dubitandi præcipua est ex antiqua Ecclesiæ disciplina, qua Monachi proprio labore manuum victum sibi querere tenebantur. Quod utrum sit præcepti vel consilij, magna contentione inter Theologos certatur, occasione locorum qui ex epistolis B. Pauli i. ad Corintb. cap. 2, & ad Thessalon. cap. 4. & 2. ad

Theffalon. cap. ult. Et quidem omnes id consilij esse fatentur, & etiam præcepti; sed ut B. Thomas, præcepti non quidem simplicis & puri, sed hypothetici, adhibitis pluribus distinctionibus & conditionibus, v. g. si aliunde victum sibi comparare non possint, vel si gravioribus occupationibus detineantur. Quantum vero pertinet ad primam & antiquam institutionem totius Ecclesiae circa Monachorum conversationem, regulæ omnes sanctorum Patrum & autoritates Pachomij, Basilij, Hieronymi, Severi Sulpitij; maximè vero sancti Augustini in accurato tractatu de opere *Monachorum*, Theodoreti præterea, Palladij & Joannis Climachi, omniumque qui de re Ascetica scripserunt, sententiæ in unum conveniunt, laboris manuum operationisque corporalis præceptum in Monachis esse necessarium. Quam in rem, præter sancti Augustini opus insigne, scripsit multa summo opificio & eruditione præclara Cassianus lib. i. cap. 7. 8. 9. 10. 11. quibus in locis B. Apostoli loca suprà citata plenius explicat. Et quidem in cap. 7. his verbis. *Nunquam potest nec apud eos quidem, qui saeculi homines sunt, honestè incedere, qui nequaquam claustris cellæ & operi manuum suarum inherere contentus est: sed necesse est eum in honestum esse, dum necessaria victus requirit, adulatio quoque operam dare, novitates etiam rumorum sectari, causarum. Fabularumque occasiones conquirere, per quas sibi ipsi aditum paret ac facultatem, qua diversorum domos valeat penetrare; & non potest non alienis donis & muneribus inhibere, qui non delectatur pio quietoque sui operis labore quotidiani victus parare substantiam.* Idem tamen notat in Occidente non fuisse observatum, ut labore manuum sibi victum Monachi compararent: qua de re conqueritur lib. 16. cap. 23. *Hinc est quod in iis regionibus nulla videmus Monasteria tanta fratum celebritate fundata, quia nec operum suorum facultatibus fulciuntur, ut possint in eis jugiter perdurare: et si eis suppeditari quoquo modo valeat victus sufficientia alterius largitate; voluptas tamen otii et cordis peragatio diutius eos in loco perseverare non patitur. Unde hac est apud Egyptum ab antiquis Patribus sancta sententia, operantem Monachum demone uno pulsari; etiosum vero innumeris spiritibus devastari.*

Postea in Occidente cœpit ab Institutoribus Monasteriorum labor manuum præcipi; in pluribus locis, in *Regula* sancti Benedicti, maximè cap. 48. idque cum reliquis antiquiorum & recentiorum Patrum Regulis convenire ostendit Benedictus Abbas Anianæ, qui sub Carolo Magno & sub eius liberis vixit in *Concordia Regularum* cap. 55. Quod præceptum semper in omnibus Orientis Monasteriis observatum, hodieque retinetur. Unde in solemnni formula mandatorum, quæ Exarchis Monasteria Patriarchica visitantibus dantur, insignis est eadem de re articulus 7. his verbis. *Principere tua Reverentia debet, ut quotquot habitus monastici cœtibus aggregantur, sacrosanctum Psalterium discant; ita tamen ut non servilem in modum, tempus omne in rerum terrestrium operatione consumant, propter imprudentiam Superiorum, aut propter inobedientiam, aut socordiam subditorum.* Cum itaque in Occidente sapienter obiiceretur socordia Monachis & cessatione ab opere manuum; præcipueque Benedictinis, quibus toties in *Regula* sancti Benedicti opus manuum præcipitur, varias excusationes & exceptiones excogitaverunt illius regulæ veteres novique Interpretes. Et quidem præcipue Petrus Venerabilis lib. 3. epistola 28. Turrecremata &

AD CAU. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. si
alij plerique, non absolutè sanctum Benedictum præcepisse opus manuum.
sed ad vitandam inertiam & desidiam, vel si non habeant, unde se va-
leant exhibere; ideoque aiunt, si totius diei spatium utilioribus occupa-
tionibus possint impendere Monachi, & præterea si absque labore pro-
prio, de liberalitate & beneficiis fidelium, lectioni & contemplationi va-
cantes foveri & sustentari possint, Regulæ sancti Benedicti non esse præ-
varicatores. Quin & addunt Prælatum ex justa causa Monachos suos, po-
tissimum juniores & validos, honestis quibusdam artificiis, statis singula-
rum dierum horis addicere posse. Quod similiter de omnibus ferè Mona-
chis, albis & nigris censendum; cum non tantum sancti Benedicti regu-
la, sed etiam antiquiorum & recentium ferè Patrum Occidentalium regu-
læ in hoc articulo convenient, ut suprà diximus, & constat ex concordia
dicta Regularum sancti Benedicti cap. 55. de opere Monachorum.

Quamdiu itaque Monachi proprio labore & industria victum sibi quæ-
siverunt, inutilis erat hæc quæstio, quæ posteà celeberrima fuit; utrum
Monachi etiam intra claustra degentes, quæ propriè debentur Clericis.
Decimas, Primitias, possessiones rectè perciperent; vel utrùm de pro-
priis possessionibus liberalitate fidelium donatis, Parœcialibus Ecclesiis
decimas persoluere tenerentur. Verum mutata veteri disciplina, utraque
quæstio diu multumque inter Episcopos, Clericos & Monachos maxima
contentione, nec sine acerbitate fuit agitata: de quibus agitur in *can. 9.*
42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. & ult. Et quidem notandum in quinque
primis Canonibus antiquioribus constitutum, nec decimas, nec alia
quælibet jura Ecclesiis antiquis adimenda esse, ut tribuerentur novis
Oratoriis: imo decimas tantum Plebibus, id est Parœcialibus Eccle-
siis debere dari, in quibus Sacramenta percipiuntur & administrantur. Et
in *can. 46.* desumpto ex Concilio Cabilonensi II. *can. 19.* Episcopi vel Aba-
bates de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrū stipendium habent,
decimas ad Ecclesiis deferri jubentur. Ad Ecclesiis, *inquam*, id est Paro-
chianas Ecclesiis, ut Ivo Carnot. in *Decreto* rectè interpretatur. De agris
verò & vineis quæ per Colonos exercent, ipsi Coloni decimas præstare
jubentur Ecclesiis, in quibus Sacramenta percipiunt. Hunc tamen Cano-
nem in *parte prima* Gratianus unica vocula, *suas*, detorsit in contrarium
planè sensum, ut nempe Monachi de propriis prædiis, quæ suis sumptu-
bus excolunt, decimas solvere non teneantur. Quod privilegium singu-
lare non tantum Monachis, sed etiam Clericis communiter viventibus
communicatum probat Gratianus in *can. 47.* cuius autor est Paschalis II.
Qua de re infra pluribus.

AD QUÆSTIONEM II.

IN hac Qu. 2. tractatur de Jure quod non tantum Monachī, sed etiam
Canonici Regulares, & qui vocantur Canonici seculares, & Monasteria,
vel Capitula & Collegia sibi passim vendicant, tam in Ecclesiis Parœ-
cialibus, quam in Capellis, vel in temporalibus, vel in spiritualibus, vel
in utroque jure tam temporali, quam spirituali: Quod ut pleniùs intel-
ligatur,

Observandum jure communi Ecclesiæ antiquo Episcopos in Ecclesiæ & Capellas omnes Episcopatus sui omnem potestatem in spiritualibus & temporalibus habere ; & ad curam & jurisdictionem eorum plebes , Parochos & Ecclesiarum possessiones & bona subdita fecisse *canon omnes Basiliæ XVI. Q. 7.* Procedente verò tempore Monachis , Canonicis sive Regularibus , sive Secularibus , imò & quibusdam Dignitatibus earumdem Ecclesiarum concessæ fuerunt vel annexæ in perpetuum Ecclesiæ quædam Parœciales vel Capellæ *cap. 30. extirpanda extrà de Prabendis* Concessiones verò vel uniones hujusmodi diligenter expendendæ sunt , quæ nec aliter ab Episcopis fieri possunt , quām adhibito consensu Capituli : Itemque forma , modus & conditiones appositæ donationi vel unionibus diligenter considerari debent : multiplices enim earum sunt formæ & genera . Quod si simpliciter concessions vel uniones conceptæ fuerunt ab Episcopo & Capitulo , pleno jure & latè accipientur , & pleno jure translatæ intelligentur ad donatarios Ecclesiæ , id est tam in temporalibus , quām in spiritualibus ; & per consequens redditus omnes dictarum Ecclesiarum , id est temporalia ad eos pertinebunt , & ipsa institutio & destitutio Clericorum in illis Ecclesiis , id est spiritualia ad eos spectabunt , excepto Cathedratico , sive Synodatico & Episcopali jurisdictione , sive Canonica justitia tam in Ecclesiam , quām in Presbyteros & in plebem ipsam : & aliquando etiam sibi solebant censem annum Episcopi in concessionibus hujusmodi attribuere ; quod & licet *Capit. constitutus extrà de religiosis dominibus. & can. quæsum prædicta prima Q. 3. sub finem ibi : salvo Episcoporum censu anno. Quæ suprà diximus , confirmantur can. 1. hac nostra Q. u. 2. cap. 2. de supplenda negligent. Prelat. cap. 15. 18 extrà de prescript. cap. 13. de Sentent. & re judicata cap. Pastoralis extrà de Donation. cap. 12. de Monachis extrà de Prabend. juncta Glossa in verbo de proventibus cap. 13. de Institutionibus cap. 1 de Capellis Monach. & cap. 4. de jure Patronatus.* Nec tantum de concessionibus & donationibus ab Episcopis factis loquimur , sed etiam de concessione Laicorum , qui scilicet Parœciales Ecclesiæ , decimas & redditus , & Ecclesiarum possessiones vel qualicumque jure obtinuerant , vel de facto occupaverant . Hujusmodi tamen donationes , ut diximus , Episcopi consensu confirmandæ erant , quoniam jure communis omnes Ecclesiæ in potestate Episcopi sunt constitutæ . Quolibet autem modo ex supradictis ad Monachos vel Capitula pervenerint Ecclesiæ , nisi pleno jure eis concessæ fuerint , tenebuntur Presbyteros Episcopis presentare , vel eorum Archidiaconis aut Vicariis , qui in dictis Ecclesiis instituantur ; in quos & in ipsas Ecclesiæ & Parochos quod ad spiritualia potissimum Episcopi jurisdictionem obtinent ; ideoque hujusmodi Presbiteri non sunt amovendi , nisi autoritate Episcopi & ex justa causa & canonica : quare & hujusmodi Vicariatus exigunt residentiam , & illis tantum conferuntur , qui constituti sunt in sacris Ordinibus , vel qui in Presbyteros statim ordinandi sunt , saltē intrâ annum ; & animarum curam continent . Unde pluralitas Vicariatum prohibetur , Tituli veri rationem obtinent , & beneficia vocantur , ut colligitur ex *tit. de officio Vicarij. & cap. 27. de Rescriptis.* Uno verbo veri sunt Rectores & Plebani , & nomine tenus Vicarij vocantur , cum non possint constitui nec

AD C. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 55
removeri ad nutum, nequidem ab illis, qui pleno jure Ecclesias obtin-
nent, nisi propter canonicas causas re tota in judicium deducta, per-
pensa & judicata.

Hactenus de Ecclesiis & Capellis diximus, quæ in rebus temporalibus Monasteriis aut Capitulis subiici debent, in spiritualibus tamen parent Episcopis, de quibus in *can. penult.* & *ult.* *hac Qu. 2.* vel de illis Ecclesiis, quæ utroque jure, id est tam in temporalibus quam in spiritualibus Monachis vel Capitulis concessæ fuerunt, in *can. 1. hac C. et Q.* scilicet concessæ vel ab ipsis Episcopis cum Clericorum Capituli consensu, vel quoties legitima 40. annorum præscriptione Episcopalia jura sibi quæsiverunt Monachi vel Capitula. Et quidem quatenus tantum vel præscriperunt; vel eis nominatim concessum ab Episcopis, nec ultra. Reliqua vero jura Episcopalia retinent Episcopi, sicut ex locis suprà citatis & ex *cap. 15. et 18. de Prescript. extra*, colligitur. Sed de præscriptione plenius agemus in *Qu. 3. et 4.* Enumerantur vero præcipua exempla jurium spiritualium, sive Episcopaliū, quæ ad eos pertinent, qui pleno jure Ecclesias Parœciales possidere dicuntur in *cap. 13. de Sentent.* & *re judicata*, quod extat integrum in *lib. 1. Regist. Innocentij III. ep. 28. & cap. 15. et 18 de Prescript.* & in *cap. constitutus extra de Religiosis dominibus*, quibus illustratur *canon 1. hujus Qu. 2.* in quo recte Gratianus & Interpretes notant, tractari de Ecclesiis ab Episcopis pleno jure concessis Monasteriis, id est tam in temporalibus quam in spiritualibus. Hujusmodi Jura sunt præcipue Institutio, Investitura, & destitutio Presbyteri in hujusmodi Ecclesiis, quæ competit Abbatibus vel Capitulis, inconsulto Episcopo, ut in *dicit. can. 1.* dicitur; in cuius tamen fine in ipsum Presbyterum animadversio & jurisdictione plenior pertinet ad Episcopum: quod de gravioribus intelligendum. Correctio enim in levioribus culpis, fidelitas, obedientia, repræsentatio ad Ordines, Chrismatis susceptio, & Jus processionis; imo & aliquando jus excommunicationis & interdicti in dictos Presbyteros concessa fuerunt illis, qui pleno jure Ecclesias possident. Quod ita intelligendum, si simul vel ea omnia Jura fuerint concessa nominatim, vel præcripta, ut supra diximus; & probatur *dicto cap. 15. et 18. extra de Prescript. et cap. 2. de Capellis Monach.* Qualia vero & quæ sint Jura Episcopalia in Parœciales Ecclesias, constat ex celebri *cap. conquerente extra de Officio Ind. Ordinaryj*, Glossa adhibita. In Ecclesiis porrò quas utroque jure, id est temporalibus & spiritualibus, vel alterutro tantum, Monasteria & Capitula detinent, vocantur vulgo Curati Primitivi; à quibus distant, qui jus tantum Patronatus obtinent Ecclesiastici vel Laici Patroni. Jus quippe Patronatus consistit potissimum in nominatione, sive præsentatione Presbyteri, qui ab Episcopo, vel ejus Vicariis, aut Archidiaconis post nominationem & præsentationem instituendus est; nec in hujusmodi Ecclesiis ad Patronos pertinent temporalia, v.g. decimæ & alij redditus & proventus Ecclesiæ; quæ omnia ad Presbyterum, qui institutus fuerit, spectabunt, qui etiam solus & verus Plebanus est & Rector. At Vicarij perpetui censendi sunt in i. casu, quando scilicet pleno jure, id est tam in temporalibus quam in spiritualibus Ecclesiæ Monasteriis vel Capitulis subjectæ sunt, ut diximus. Et præterea adnotandum in Ecclesiis, quas pleno jure Monachi vel Canonici Regulares possident, eos posse Monachos

instituere, qui plebem regant cap. 21. extrà de Privil. modo in dictis Ecclesiis non soli, sed socio vitæ sibi adjuncto commorentur: nec enim unicus tantum Monachus Ecclesiis Parœcialibus præfici potest cap. 2. et 5. de Statu Monach. et cap. penult. et ult. de Capell. Monach. Quod si in temporalibus tantum Monasteriis subsint Ecclesiæ, & si in dictis Ecclesiis Parœcia consistat; in illis tamen non Monachus, sed Presbyter & Capellanus ab Episcopo ad præsentationem Monachorum institui debet, per quem populus regatur cap. 1. de Capell. Monachorum. Quod cum aliquo temperamento acceperunt Patres Concilij Trid. sess. 25. cap. 11. de reformat. Quod aptè Correctores Rom. adscribunt ad d. cap. 1. de Capell. Monach. in quo cap. agitur tantum de Ecclesiis, in quas Monasteria vel Capitula jus tantum habent in temporalibus; & est postrema pars cap. 1. de Capell. Monach. in 1. Collect. cuius pars prior idè fuit omissa à Greg. IX. quod Gratianus partem illam retulerat in Can. 2. Causa XVI. Qu. 7. in qua si quid supervisit, adiiciemus.

Can. 2. 3. 4. 5. qui de decimis loquuntur, in præcedenti Quæst. explicuimus.

AD QUÆSTIONEM 5.

PREposterichæc Qu. 5. numeratur; unde appositè Rom. Correctores superiori Qu. 2. notant, in plerisque Codicibus conjungi Canones qui continentur sub hac Qu. 5. Et meritò: nam ad eandem materiam spectant. In fine quippe Qu. 2. Gratianus observaverat, quas Ecclesiæ ædificant Abbes in villis vel Castellis sui Monasterij, quatenus ad regimen & administrationem Ecclesiarum, Presbyterorum & plebium, subditas esse iis Episcopis, in quorum Diœcesibus extructæ erant: quod & confirmatur tribus *Can. hujus 5.* Qu. quorum can. brevis hæc est sententia. Quoties Dominus alicujus villæ vel pagi Ecclesiam, sive Oratorium construxerit, et si Episcopus, vel Abbas, aut Laicus sit dominus, quamvis proprietas & dominium villæ, cui inædificata fuit Ecclesia, ad eum pertineat; potestas tamen & jurisdictione in hujusmodi Ecclesia non ad Episcopum, vel Abbatem, qui ædificavit Ecclesiam vel dotavit, pertinebit, sed ad Episcopum Diœcesis, in cuius territorio posita est *can. 1. 2. 3. hac Qu.* Episcopo tamen, vel Abbat, aut Laïco qui ædificavit vel dotavit, jus præsentandi & nominandi Presbyterum ad dictam Ecclesiam vel Oratorium competet, id est jus Patronatus consequetur tantum d. *can. 1.* qui ex Concil. Arausiano I. desumptus est, quo nullus locus antiquior reperiri potest. *Can. verò 2. hujus Quæst.* sententia ex integro *can. 34.* Conc. Tolet. IV. repetenda est, cuius pars repetitur in *can. sicut Diœcesim infra Qu. 3.* his verbis: *sicut Diœcesim triennalis possessio tollit; ita territorij conventum non admittit; ideoque Basilice, que de novo condite fuerunt, ad eum Episcopum pertinebunt, cuius conventus esse constiterit.* In iis Canonibus territorij conventus, & conventus simpliciter significat potestatem & jurisdictionem, quam in universum Episcopatum obtinet Episcopus. In Libris Juris *Lex Diœcesana* solet appellari, quod scilicet intrà fines Episcopatus tantum exerceatur; extrà territorium quippe impunè non paretur *L. penult ff. de Iurisd.* Territorium enim in jure solet definiri universitas agrorum intrà fines cuiusque Civitatis ob id, quod intrà ejus fines jus terrendi & animadverten-

di Magistratus habent L. 239. §. *territorium ff. de Verbo signif. vulgo* districtum appellamus. Notat Glossa ad can. i. in verb. *territorio*, *Territorium aliquando significare predium ipsum & possessionem, vel, ut barbarè loquitur, terram; quod probare contendit ex ultimis verbis can. 5. seq. Qu.* sed frustrà. Alia est enim longe significatio territorij, ut probavimus, & clausula illa postrema can. 5. non reperitur in integro can. sed supposititia est. Notandum præterea in can. 4. Q. 3. Dicæsim non significare universum Episcopi territorium, ut solet; sed tantum Ecclesiam aliquam specialem, urbanam vel rusticam, Parœcialem Ecclesiam vel Curam: quibus ita explicatis facile patet sententia d. *Canonis 4.* Quamvis vicinus Episcopus in vicini alterius Episcopatus villa & possessione aliquam Ecclesiam vel Parœciam per 30. annorum præscriptionem sibi acquisierit legitimè; si tamen in eadem villa de novo construatur aliqua Ecclesia, nullum ius habebit extraneus, sed ad antiquum Episcopum pertinabit, in cuius territorio nova Ecclesia constructa sit. Et hoc est quod diximus, non amplius præscribi, quām possessum fuerit cap. 15. & 18. de *Præscript.* Quæritur autem quid sit juris, si aliquis Episcopus, inconsulto Episcopo Dicæsano, Oratorium dedicare & ædificare præsumpscerit in alieno territorio, utrum Oratorium hujusmodi destruendum sit, nec ne. Et distinguitur, an ante novi operis denuntiationem ædificaverit vel post ex cap. cum ex injuncto, extrà de operis novi nuntiat. in quo si post nuntiationem nihilominus ædificet, dicitur oportere destrui; si vero ante nuntiationem, non debere destrui: cui sententiæ addendum ex integra Greg. I. epist. ex qua sumptus est can. ult. hujus *Quæst.* Oratorium hujusmodi, quod ab incompetenti persona constructum fuerit, à proprio Episcopo sine aliqua mora reformandum, ac Episcopum Dicæsanum novum Oratorium, Ecclesiam, Jurisdictionem & autoritatem obtinere. Quod notandum ad can. ult. d. *Qu. 5.*

AD QUÆSTIONES 3. ET 4.

PRÆSCRIPTIONIS mentio facta in can. 2. præced. *Qu.* impulit Gratianum, ut generaliter de universo præscriptionis jure tractaret. Et quidem in 3. tractat, quo temporis spatio Ecclesia adversus Ecclesiam, Monasterium, vel privatos præscribere possit; & in 4. quo tempore Monasterium adversus Ecclesiam vel aliud Monasterium præscribat. Canones fere omnes, qui referuntur in illis quæstionibus, ad leges Principum meritò pertinent; quoniam plerumque per præscriptionem rerum temporalium dominia acquiruntur, in quæ potestatem & jurisdictionem omnem habent Reges & Imperatores; ideoque quod in præscriptionis jure constitutionibus Romanis constitutum est, Ecclesia retinuit, ad quas pertinent can. 1. 2. 3. 4. & seqq. fere omnes *Qu. 3.* in qua Gratianum & Interpretes identidem falli demonstravimus *Dissertat.* in cap. *auditis de Præscript.* cap. 3. allata vera sententia Canonum ex fide Historiæ & legum. Legibus publicis, id est celeberrima Constitutione Theodosij junioris, ut inscriptio Legis indicat, (quæ extat integra in *Cod. Theod.* sub tit. de act. certo tempore finiendis, & L. 3. sicut *Cod. de Prescriptione* 30. vel 40. annorum) primùm in Oriente: & posteà *Novella Constitutione* Valentiniani, id est *Novella de*

Prescript. 30. an. in Cod. Theod. in Occidente innotuit, & probata fuit præscriptio 30. an. ut constat ex Sidonio Apollinari lib. 8. epistola 6. Postea Justinianus in gratiam Ecclesiarum omnium centenariam præscriptionem induxit, scilicet L. 23. ut inter divinum Cod. de sacros. Ecclesiis, & Novella 9. quam deinde paulo post sustulit. Nov. 131. aliqua tamen prærogativa Ecclesiis & Monasteriis & reliquis venerabilibus locis relata, ut scilicet adversus ea loca non 30. sed 40. annorum possessio requireretur; nequidem exempta Romana Ecclesia Novell. 111. Novell. 131. cap. 6. & ibi D. Cujacius & lib. 5. observat. cap. 5. & iterum de diversis temporum præscript. tractatu: quibus locis verissimè confirmat quorundam Interpretum sententiam, qui Ecclesiam Romanam obnoxiam esse scripserunt præscriptioni 40. ann. perinde ac reliquas. Eodem progressu juris universam Ecclesiam usam reperio. Et quidem tricennariam admittit Concil. Chalced. can. 16. qui extat 1. in hac Qu. 3. quem & plerique can. sequuntur; 40. verò annorum quam induxit Justinianus, agnoscunt alij Canones, scilicet Canon 1. 2. & 3. Qu. 4. quam Gratianus malè à 3. distinguit hac fictione, ut in Qu. 3. Ecclesia adversus Ecclesiam per 30. annos tantum; in 4. verò Monasterium adversus Ecclesiam per 40. tantum annos præscribere possit. Vera itaque differentia & sententia Canonum repetenda est ex diversis Imperatorum Constitutionibus. Et quidem à Theodosio juniori usque ad Justinianum præscriptio tricennalis in Ecclesia obtinuit; sub Justiniano verò centenaria parum probata, mutata fuit in quadragenariam, & passim per universam Ecclesiam recepta, à qua Greg. I. nequidem exceptit Rom. Ecclesiam Can. volumus Qu. 4. Gregorij verò successores longo post intervallo Joannes VIII. in can. ult. Qu. 3. & Innoc. III. in cap. 13. & 14. extrà de Prescript. & Bonifacius VIII. in cap. 2. eod. tit. in vi. præscriptionem centenariam in usum revocaverunt in gratiam Rom. Ecclesiæ. Quod nunquam receptum in Gallia.

Obstant can. 3. 4. 6. & 10. d. Q. 3. omnes quidem post Justinianum editi, quibus tantum tricennalis præscriptio probatur, licet Ecclesia adversus Ecclesiam vel Monasterium, vel Monasterium adversus Ecclesiam præscribat, nullâ mentione quadragenariæ præscriptionis facta; ut non immitò Alexander III. in cap. 8. extrà de Presc. rescribat, quosdam Canones comprobare Tricennalem; Rom. verò Ecclesiam non admittere minorem quam quadraginta annorum. Quæ ratio diversitatis, ut diximus, vel ex diversis Imperatorum Constitutionibus, vel ex locorum diversis iuribus repetenda est. Canones enim oppositi, qui 30. annorum præscriptionem probant etiam post Justinianum, desumpti fuerunt ex Concilis Hispaniæ, in qua nunquam Justiniani leges locum habuerunt, sed solus Theod. Codex, ut & in Gallia, in qua, ut constat ex can. 12. Concil. Aurelianensis III. post tempora Justiniani habitu, Tricennaria præscriptio probatur hac ratione, quod & in Gallia & Hispania leges Theodosianas Ecclesia receperat.

Notandum præterea adversus Parochiarum & Provinciarum publicos limites non habere locum præscriptionem, cujuscunque sit temporis: status enim publicus antiqua dispositione ordinatus, nulla ratione divelli debet. Can. 5. 6. 7. d. Q. 3. cap. 4. extrà de Parochiis; sive agatur de limitibus Ecclesiarum, Provinciarum, vel Episcopatum. Fines tamen & limites priuatorum

AD QUESTIONEM 6.

IN possessiones & res proprias Ecclesiarum vel Monasteriorum , aut in Ecclesiæ & plebes , vel Parœcias ab aliis possessas non debere Episcopos , Rectores vel Abbates absque judice privata autoritate irruere & manus iniicere ; alioquin Ecclesiarum , Possessionum & rerum illegitimè occupatarum dominio & jure privari statuitur , maximè in *Can. 2. hoc tit. quæ decisio ex Jure civili desumpta est , nempe ex Lege 7. Cod. unde vi.* Nec etiam vel Ecclesiæ Romanæ , vel cuiuscumque alterius Ecclesiæ patrimonij Rectoribus & Defensoribus licet , titulos & signa suæ Ecclesiæ imponere possessionibus ab aliis detentis , et si eas existiment suis Ecclesiis competere : si contra fecerint , eis anathema infligitur , ut usurpatoribus *Can. 1. hujus Qu. Cujus decisio desumpta est ex Jure civili , ex tit. nempe Cod. ut nemi liceat sine judicis autoritate signa rebus imponere alienis ; in quem vide paratitla Cujacij , & lib. 16. Observationum cap. 12. & eundem ad Novell. 17.*

In Canone verò 2. ex Concil. Milevit. desumpto Primatis nomen pro Metropolitano accipitur secundùm morem Ecclesiæ Africanæ , & in eo *Can. subobscura hæc clausula sic explicanda , & ejus literas accipiat &c. id est , à possessore litteras accipiat , quibus liquidò probare possit , se non per vim , sed ex ejus possessoris consensu & voluntate Ecclesiam aut plenam ad se legitimè pertinentem recepisse.*

Obiicit Gratianus omnes *seqq. can. 3. 4. &c. ex quibus nititur probare contrarium , nempe delictum , culpam & factum Episcopi , Rectoris Ecclesiæ , Abbatis vel Monachi non debere in damnum & detrimentum Ecclesiæ vel Monasterij converti : quod tamen contingere videtur in casu d. Can. 2. Sed respondendum singulare videri quod in d. Can. 2. deciditur , ne occasione perniciosissimi Schismatis , quod eo tempore in Africa spargebatur , ambitiosior & audacior quilibet Episcopus vicini Episcopi plebes & Parœcias præsumeret usurpare. Aut etiam addendum per integrum restitutionem læsis per hujusmodi usurpationes & imminutis Episcopatibus posse subveniri. Certum est enim , sicut Minoris vel Tutoris vel Curatoris delictum aut dolus non impedit , quominus per restitutionem redintegrantur , eisque consulatur *toto tit. Cod. si tutor vel curator intervenierit , ita etiam eadem ratione Ecclesiæ & Monasterio succurretur , quæ Minoribus comparari solent *toto tit. de in integrum restitutionibus extra. In delinquentis itaque Prælati personam & bona poena profertur , nec in damnum Ecclesiæ vel Monasterij Episcopi , Clerici , Abbatis vel Monachi delictum convertitur : quod pluribus hujus quæstionis Canonibus confirmatur.***

Ad Canonem verò 3. notandum licet morte delinquentis crimen & poena extinguatur , nec ad heredes transeat ; si tamen apud heredem deprehendatur , quæ injustè abstulerit defunctus , heredi auferentur *L. unica Cod. ex delictis defun. in quantum heredes , &c. In Can. verò 4. si ex servis Ecclesiæ aliquis damnum dederit , non sicut ex prava consuetudine servus impunitus dimittitur , & ex ejus peculio sarcitur damnum , sed*

FR. FLORENTIS TRACTATUS

liberum est Ecclesiæ, vel servum dedere noxæ, vel damnum pro eo præstare: nec enim ultrâ corporis proprium servi debent esse damnoſi dominis *Titulis de noxalibus actionibus ff. & Instit.* Et ita intelligenda sunt verba poſtrema Canonis, à commode eorum abstineatur, id est à peculio ſervorum hujusmodi abstineatur, quod nempe Ecclesia retinebit, ut legitur in *integra epift. Greg. I. 42. lib. 1. Regift. scripta ad Petrum Subdiaconum Defensorem patrimonij B. Petri*: quam potestatem Greg. I. eum admonet accepisse ante ſacratissimum B. Petri Apostoli Corpus in *epift. 70. ejusdem Libri*, ex qua *Canon 4 & 5. hujus Quæſt.* deſumptus eſt.

Canonis verò 5. hæc eſt ſententia, Lapsos Sacerdotes vel Levitas aut Clericos in pœnitentiam tradi & in Monasteria retrudi debere; eorumque res & bona prohibet redigi in commodum & utilitatem Ecclesiæ, ne, ut ait, contaminaretur Ecclesia, ſed debere adjudicari pauperrimis Monasteriis, in quæ correctionis gratia coniiciebantur. Quod ſi legitimos parentes haberent, ad eos lapsorum bona pervenire präcipit, deductis tamen, quæ ad lapsorum qui in pœnitentiam datî fuerant ſuſtenationem necessaria forent: quod in *eadem epift. sub finem duobus modis confirmatur*. Si verò ex Ecclesiastica familia hujusmodi Sacerdotes, Clerici vel Monachi lapsi forent, jubet pariter in Monasteria retrudi; eorum verò bona in patrimonium Ecclesiæ redigi, in cujus ſervitute anteā fuerant, deductis priùs, quæ ad eorum victum necessaria forent. Quod exemplo juris civilis receptum, quo caſtrenſia bona Militum, qui ex delicto militari capitis pœnam patiebantur, ex *constitutione Adriani* non redigebantur in fiscum, ſed vel ad heredes legitimos, aut Cognatos uisque ad 5. gradum pertinebant; vel ſi nullos haberent, ad Legionem aut Vexillationem deferebantur *L. 6. §. 6. & 7. ff. de Injusto rupto & toto tit. ff. de veteranorum & militum ſucceſſione & L. 2. Cod. de hered. Decurionum.* Epifcopos autem, Presbyteros, Clericos, Abbates & Monachos lapsos & depositos pœnitentiæ cauſa in Monasteria detrudi ſolere conſtat tam ex *Can. 5. & 7. hujus Quæſt.* quam ex *Can. 8. 10. & 11. Dist. LXXXI. & in additione 3. Capit. Ludovici Pij cap. 8. Novell. Instit. 123. cap. II. & Novell. 134. cap. 10.*

AD QUÆSTIONEM 7.

IN hac Quæſt. Gratianus oſtendit, nec Abbatii, nec Monacho, vel aliqui de Clero permitti accipere de manibus Laicorum Epifcopatus, Abbatias, Honores & Dignitates, Ecclesiæ vel Præbendas; imo nec Decimas, Primitias, Oblationes, Possessiones & reditus, quæ ab antiquo ad Ecclesiæ, aut Monasteria pertinuerint, à Laicis comparare, inconsulto Epifcopo: Laicos verò omnino prohiberi Ecclesiæ, Decimatum, & ſimilium jurium Ecclesiasticorum detentionem quocumque modo vel prætextu ſibi vindicare. Quod pluribus Canonibus conſirmat. Sed ut hæc omnia intelligantur, obſervandum omnes Ecclesiæ, earumque poſſessiones & reditus quolibet jure communi Ecclesiæ in Epifcoporum poſteſtate, in quorum territorio poſitæ ſunt, conſistere *Can. 10. hac Quæſt.* quorum officio & prudentia, accidente Cleri confilio, debent diſtribui ſecundum Canones, Animarum enim Cura, præbendarum & pecunia-

AD C. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 59

rum Ecclesiæ dispensatio debet in Episcopi potestate permanere , nec eo inconsulto per quoslibet Archidiaconos & Archipresbyteros vel Decanos distribui *Can. ii. hac Qu.* Dixi secundum Canones debere distribui , nempe Ecclesiis , Clericis deservientibus actu in ipsis Ecclesiis , Monachis , pauperibus & aliis miserabilibus personis ; non autem Laïcis , vel illis Clericis , qui Ecclesiæ sunt inutiles *Can. i. & 3. hac Qu.* Quæ distributio jure veteri Ecclesiæ , ut constat ex Concilij Chalced. *Can. 24. hac Qu.* per Oeconomos , sive Vicedominos de proprio Clero , non de Laïcis electos procedebat *Can. 19. 21. & 23. hac Qu.* Laïcis enim quamvis religiosis nulla de Ecclesiasticis rebus disponendi facultas est attributa *Can. 23. 24. & 25. hac Quaest.*

Observandum verò in *hac Qu.* plurimos Canones pertinere ad coercendos tres gravissimos abusus , qui in universam ferè Ecclesiam irruerant , sæculis quatuor , ix. x. xi. & xii.

Primus abusus turpisimum Simoniæ crimen. Vix enim tribus illis saltem primis sæculis Episcopus , Abbas , Presbyter , aut Clericus absque pecunia aut pretio promovebatur ad Ordines , aut Episcopatum , Abbatiam , Ecclesiam Parœcialem aut Præbendam obtinebat.

Secundus abusus. Imperatores , Reges , Duces , Comites & plerique potentiores Episcopatus , Abbatias , Ecclesiæ earumque possessiones & redditus more pessimo sibi vindicaverant , & ipsas Ecclesiæ , Episcopatus , Abbatias conferebant ; Episcopos , Abbates per Annulum & Virgam investiebant ; ipsosque Episcopos , Abbates , Archidiaconos , Decanos pro arbitrio destituebant , aut instituebant : imò & ex Summis Pontificibus multi ab Imperatoribus investiti & inthronisati , non absque pecunia.

Tertius abusus. Abbates , Monasteria , Capitula & Collegia per speciem pietatis præsumebant à Laïcis Ecclesiæ , Decimas , Oblationes & reliqua sibi jura comparare , autoritate propria ; & aliquando Episcopis inconsulis , pecunia numerabatur : quod præter Simoniæ crimen vergebatur in summum præjudicium Episcoporum , & maximè Parœcialium Ecclesiarum , quibus Decimæ , Oblationes & possessiones communī jure competitunt.

Ad reprimendos gravissimos hujusmodi abusus , Concilia plurima fuerunt convocata , præcipue verò sub Pontificibus Leone IX. Victore II. Stephano X. Nicolao II. Alexandro II. maximè verò sub Gregorio VII. qui & sub præcedentibus Summis Pontificibus autoritate plurimum valuerat , ex Monacho Cluniacensi , Hildebrando vocato , Cardinalis Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus , Urbano II. Paschali II. Gelasio II. Callisto II. Honorio II. Innocentio II. & sequentibus usque ad Innocentium III. inclusivè. Canones autem dictorum Conciliorum , qui ad Simoniam coercendam pertinent , retulit Gratianus accuratè in *Causæ 1. Questiones 7.* quibus universa de Simonia ejusque variis speciebus materia prolixè tractatur , de qua etiam in *Can. 3. 9. & 20. hac nostra questione.*

De occupatione verò & invasione Ecclesiarum , & Investiturarum usurpatione ab Imperatoribus , Principibus & Optimatibus , itemque de illicitis acquisitionibus Ecclesiarum , Decimarum & reddituum Ecclesiasticorum à Laïcis , per Monachos fieri solitis multi Canones referuntur in *Qu. 2. Suprà , & hac nostra potissimum Qu.* quorum hæc est sententia , ut nullus Imperator , Rex , Princeps vel alius potentior Laicus dispositionem , seu

donationem, aut investituram præsumeret Episcopatum, vel Monasteriorum, aut Ecclesiarum; alioquin tanquam sacrilegus anathemati subiicitur. Quam in rem observanda summè compositio & concordia inita inter Callixtum II. & Henricum V. Imperatorem in Concilio generali Lateran. quod vulgo primum vocant. Qui Henricus, ut & ejus prædecessores, propter invasiones & occupationes supra dictas à præcedentibus Pontificibus in multis Conciliis excommunicati fuerant. Pacis autem conditiones hujusmodi fuerunt, ut Imperator dimitteret omnem investituram per annulum & baculum, sive virgam, & concederet in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones verò & Regalia B. Petri, & quæcumque ablata forent, vel ab Imperatoribus, vel ab aliis Principibus, sive Ecclesiæ Romanae, sive aliis Ecclesiis restitueret, vel restitui curaret. Summus verò Pontifex Imperatori concedit, electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni in præsentia Imperatoris fieri absque aliqua simonia & violentia, ut si qua inter partes discordia emergeret, Metropolitani & Comprovincialium consilio, vel judicio, sanatori parti assensum & auxilium præberet Imperator. Electus autem Regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet: ex aliis verò partibus Imperij consecratus, infrà sex menses Regalia per sceptrum ab Imperatore reciperet. Universam Investiturarum historiam & gravissimas super ea re controversias exposuit Juretus ad epist. Iponis 233.

Præterea iisdem Conciliis Laicis omnibus non tantum Investituræ, sed etiam potestas, jus & dispositio quælibet in Ecclesiis, Decimas, Oblationes & omnia bona Ecclesiarum prorsus adempta. Hoc amplius cautum fuit, ne Clerici vel Monachi per manus Laicorum Ecclesiis, Decimas & possessiones Ecclesiarum, absque Diœcesanorum Episcoporum consensu, quolibet titulo compararent; idque potissimum ratum & confirmatum fuit quatuor Conciliis generalibus Lateran. habitis sub Callixto II. Innoc. II. Alexandro III. & Innocentio III. Vix enim per plurim annorum spatia illa reformatio potuit introduci; cum scilicet hujusmodi restitutions Ecclesiarum & Decimarum faciendas Episcopis Diœcesanis, & per eos Ecclesiis, quibus ablatae fuerant, Canonibus constitutum fuit *Can. 18. hac nostra Qu. & Can. 9.* Concilij Lateran. sub. Alexandro III. *Can. 2. & 3. hac eadem Quest.* cuius autor est Urbanus II. & *Can. 5.* Concil. Melphitanus sub eodem Urbano II. & *Can. 18.* Concilij Lateran. generalis sub Calixto II. quibus constitutum ne Clerici vel Monachi absque Episcopi Diœcesani consensu bona Ecclesiastica aut jura comparent: quod & repetitur in *cap. 17. extra de jure Baronatus,* in quo præterea subiicitur, quod si quis Episcopus improbitatis, vel avaritiæ causa consentire noluerit, Rom. Pontif. nuntiandum esse; & quod offerendum est, tunc ejus licentia offeratur.

Observandum verò ex *cap. 7. de his que fiunt à Pralatis, &c.* Laicos, qui Decimas, in feudum perpetuo datas, Ecclesiis donare cupiunt, ab Episcopis Diœcesanis, quorum consensum esse necessarium diximus, in hujusmodi donationibus monendos esse, ut Ecclesiis ipsis restituant, à quibus profectæ sunt. Quod si forte induci nequierint, si accedat Diœcesani consensus, alteri Ecclesiæ, vel Monasterio poterunt assignari: & in hoc articulo solius Episcopi consensus sufficit absque Cleri vel Capituli

consensu. Quinimò pleraque Monasteria à Summis Pontificibus emendi-
cabant privilegia , quibus absque consensu Episcoporum Ecclesias & De-
cima & Laïcis acquirere valerent. Nec obstat cap. 1. 2. & 3. extrà de his
qua fiunt à *Prälatis* , & cap. 2. & 7. extrà de *donationibus* , in quibus
non tantùm Episcopi , sed etiam Capituli consensus requiritur in donatio-
nibus , vel alienationibus rerum Ecclesiæ. Nam in illis Capitulis agitur
de alienationibus rerum Ecclesiasticarum , quarum plenissimum jus , arbi-
trium & possessio remanet penes Episcopum & Capitulum , & quæ non
detinentur à Laïcis. Nec obstat cap. *unicum de jure Patron.* in vi. nam ,
ut titulus indicat , longè est alia causa Juris Patronatus , quod jure Ca-
nonico Laïcis competere potest , quàm occupationis illicitæ rerum Ec-
clesiasticarum à Laïcis factæ ; ideoque admissum facile , ut Laïci Jus Pa-
tronatus sibi competens , etiam absque consensu Episcoporum aut Ecclesiis ,
aut Monasteriis donarent , aut concederent cap. *unico de Iure Patronatus*
in vi.

Præterea notandum quod dicitur in *Can. 2. hujus Quest.* nullum suscipi-
re debere habitum Monachi , spem vel promissionem habentem , quòd
Abbas fiet. Quod confirmatur Concilio Rom. sub Nicolao II. & Con-
cil. Tolosano sub Urbano II. & cap. 37. extrà de *Election.* idque tanquam
ambitiosum reiicitur & contra regulas , quibus Abbates ex professis tan-
tùm & exercitatis in regula debent eligi.

Quatuor verò postremis Canonibus quædam ad Monachos & Monaste-
ria pertinentia statuuntur. Et quidem *Can. 40.* ne Reges aut potentiores
Monasteria in jus proprium transferre , vendere , vel commutare valeant ,
nisi cum alio Monasterio : *Can. verò 41.* statuitur in alium opportuni-
rem locum Monasteria non posse transferri ab Abbatे , nisi cum Episcopi
& fratum consilio , relicto in antiquo Monasterio aliquo Presbytero ad
Ecclesiæ ministeria obeunda. Et *Can. 42.* qui sumptus est ex *Can. 7. Con-*
cilij Cabilonensis II. sub Carolo Magno , statuitur ut si qui machina-
tionibus & dolis circumventi per avaritiam ab Episcopis vel Abbatib-
us , comam deposuerint , & se suaque Monasteriis tradiderint , Abbates
quidem & Episcopi pœnitentiæ Canonice subiiciantur ; res verò per
fraudem & dolum ereptæ , legitimis heredibus restituantur. Hoc enim
tantùm , quod quisque Deo justè & rationabiliter de rebus suis offert ,
firmiter Ecclesia tenere debet , sicut in integro *Can.* dicitur , & iterum
repetitur idem *Canon infra causa xx. Qu. 3 Can. ult.* In *Can. verò ult.* de
Abbatis electione agitur , quæ vel post mortem , vel post renuntiationem
legitimè factam fieri debet communi totius Congregationis consilio : quo
neglecto solus Abbas non potest alium ex proximis , vel amicis sibi substi-
tuere.

Canones hujus *Quest.* qui referuntur à *Can. 26.* usque ad 39. non perti-
nent ad statum Regularē , sed ad Jus Patronatus , quod regulariter per
fundationem , vel dotationem acquiritur Laïcis aut Clericis , quibus Jure
Patronatus competit jus nominationis , sive præsentationis in hujusmodi
Ecclesiis. Et hic est casus singularis , quo Ecclesia ex æquitate & utilita-
te publica Laïcis aliquam in ordinandis Ecclesiis potestatem , conniven-
tibus oculis , indulxit contra jus commune , quo Laïcis omnem de rebus
Ecclesiasticis statuendi potestatem interdictam fuisse initio *hujus Qu.* di-

Hi Ca-
nones ex-
plican-
tur tra-
tatu seq.

ximus. Sed quoniam hæc materia alienior est, in præsens omittemus.

Canon. 2. *hujus Qu.* editus fuit in Concil. Claromontensi sub Urbano II. an. Christi 1095. mense Novembri, cuius sententia pertinet ad ea quæ diximus de consensu Episcoporum necessario in acquisitionibus Ecclesiærum, Decimarum & possessionum, quas Monasteria passim à Laicis comparare solebant, & sèpissimè Episcopi consensu non adhibito. In hoc verò *Can.* singulariter & dispensativè constitutum contra regulam, ut quidquid de Ecclesiasticis rebus à Laicis Monachi nacti fuissent ante dictum Concilium, firmiter in posterum retinerent pro bono pacis & concordiæ; sed in posterum districtissimè prohibitum, ne inconsultis Episcopis, ali. quid hujusmodi acquirant. Pleniorē *d.* *Can. 2.* explicationem & simul Concil. Claromontensis sub Urbaño II. Historiam & Canones illustravit doctissimus Petrus de Marca in lib. de Primatu Lugdunensi.

AD QUÆSTIONEM I. ET 2.

Causa decima septima.

QUÆRIT in his duabus *Qu.* Gratianus, utrum ille, qui voverit vitam monasticam à voto recedere valeat, & utrum beneficium Clerico restituendum sit, quod priùs libera voluntate refutaverat, id est resighaverat, cum in eo foret proposito, ut Monachus fieret, imò & promisisset, ut in specie *Can. 1. Qu. 2.*

Ad utramque Quæstionem decidendam, observandum primò certissimum esse vota rite & canonice concepta jure divino obligare & astringere: nec enim Deo semel fides data irrita fieridebet. Diximus *vota rite & canonice concepta*. Secundūm autem Canones requiritur certa ætas, circa quam definiendam variaverunt sèpe Canones, ut pleniùs dicemus ad *C. xx.* Hodie indistinctè & in masculis & in fœminis ætas sexdecim annorum impletorum requiritur, itemque annus probationis impletus, post quem professio publicè in manu Superioris, ex scripto, solemniter emitti debet; alioquin nulla in omnibus erit professio *cap. 15. & 17. Conc. Trid. de Regular. sess. 25.* quo jure utimur.

Quod ad tempus probationis variatum diximus. Non enim tantùm annus, sed triennium aliquando desideratum fuit, quod in ueste laicali & habitu communī Novitus implebat, ut constat ex *Can. 3. Qu. 2.* qui desumptus est tam ex *Novella 5. Justiniani cap. 2.* quam ex *Novella 123. cap. 33.* Quod & confirmari potest (*an. 5. Syn. Constantin. primæ-secundæ & pluribus aliis locis.* In communib⁹ autem & laicalib⁹ uestibus probationem olim factam confirmat apertissimè *cap. 58. Regulæ sancti Benedicti;* ubi ait *Mox ergo* (postquam scilicet probationis annus per actus fuerit) *in Oratorio exnatnr rebus propriis, & induatur rebus Monasterij;* & in (*an. 6. Conc. Aurelian. V.* itemque in *additione 1. Capit. Ludovici Imperat. tit. 34. Expleto autem probationis sua anno,* secundūm quod regula præcipit, inde facies ipse vero non tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, prinsqnam obedientiam promittat. Debet autem fieri professio spontè & absque ulla vi, coactione, suggestione, aut inductione, in manibus Abbatis *can. 1. Qu. 2. & Can. ult. Causa xx. Qu. 3.* De promissione autem sua petitio-

AD CAU. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 5;
nem facere debet, Abbatे præsente, coram omnibus, de stabilitate sua,
conversione morum, & obedientia coram Domino & Sanctis ejus, eamque
petitionem manu propria scribere & subscribere, vel si nesciat literas, ab
alio scriptam, aliquo signo facto comprobare, & manu propria super al-
tare ponere d. *capitulo 58. Regule sancti Benedicti. Ecclesia enim in Acti-*
bus omnibus scripturam desiderat cap. 1. extra de libelli oblatione. Arnul-
phus Lexoviensis epistola 13. nosse siquidem debes in eo, qui Religionem pro-
fessus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad sanctissimam diligentiam
teneri, qui obedientiam Pralato suo, viva voce & scripto, juramento etiam
corporaliter interveniente, exhibita sancte Crucis impressione, signavit. Quæ
omnia brevissimè continent sententiam Canonum 1. & 2. Qu. hujus Cau-
sa, & explicant liquidò voti solemnis formam & conceptionem: quod
etiam confirmatur cap. 1. 6. 8. 11. 13. 17. 20. 21. & ult. extra de Regularibus
& transeuntibus ad Religionem. Hujusmodi autem voti solemnis ea vis est
& effectus, ut nullo calu & praetextu ab eo liceat recedere: quod con-
firmatur Canonibus hujus Qu. 1. & 2. & iterum Causa xx. Quest. 3. per
totum.

Nec obstat *Canon 2. bac Quest. 2. desumptus ex sancti Augustini epist.*
70. ad Bonifacium Comitem, qua definitur etiam post propositum conti-
nentia, uxorem ductam non posse dimiti. Sed respondemus propositum Bo-
nifacij Comitis de continentia & vita monastica amplectenda, de quo in
d. epistola, multum differre à voto solemnii. Nec enim ulla probatio
vel professio scripta, vel non scripta apud Superiorē solemniter emissa
*fuerat, ut ex *integra epist. colligitur. Et simile fuit illud propositum**
*illi, de quo in *Can. Gonsaldus bac Qu. 2. & ut loquamur verbis Theolo-**
gorum & Canonistarum, votum tantum simplex fuit. Quod si quis instet,
etiam post qualemque votum Virginitatis, contractum Matrimonium
*valere, nec dissolvi posse ex *Can. 2. & 3. Dist. 27. quorum autor sanctus**
Augustinus & Theodorus Cantuariensis. Resp. illam sententiam ab Ecclesia
*rejectam fuisse, & contrariam ferè omnium Patrum prævaluuisse *Can. 1. 4.**
*5. 6. d. Dist. xxvii. & tota Dist. xxviii. potissimum verò plerisque *Canon.**
Qu. 1. Causa xxvii. Ex quibus Canonibus veteres & novi Doctores so-
lemnis & voti simplicis differentias deduxerunt, quas Summi Pontifices
passim constitutionibus suis confirmaverunt; tandemque propter varias
controversias super ea distinctione sapiùs exortas Bonifacius VII. in
cap. unico de Voto in vi. saltem quantum ad dirimentum Matrimonium
pertinet, votum solemne accuratiū ita definivit, quod solemnisatum fue-
rit, aut per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel
ratuit in factam de Religionibus per sacram Sedem approbatis. Reliqua om-
nia vota, licet manifestius expressa, impediunt quidem contrahendum
Matrimonium, sed semel contractum non dirimunt. Pro voto tamen non
completo, imponetur pœnitentia. Addendum his quæ diximus de voti
solemnis conceptione & ejus effectibus, & de voti non solemniter concepti
inutilitate cap. 15. & 17. sess. 25. de Regularibus Concilij Trid.

Ad Canonem verò *Gonsaldus 1. Qu. 2. Notandum Renuntiationem, sive*
Resignationem Beneficij factam à Presbytero, qui voto simplici Mona-
chum se promisit fieri, in manibus Ordinarij peragendam esse, non au-
tem in manibus Advocati sive Patroni, maximè si Laicus sit. Advocati

enim & Advocacionis nomen pro Patrono & pro Patronatu saepe in Libris nostris accipitur. Alioquin aliter facta Renuntiatio sive resignatio erit inutilis & irrita: & nihilominus qui non rite renuntiavit, retinet beneficium. Quam in rem singulare est cap. 8. de *Renuntiationibus*: est enim Renuntiatio actus legitimus, qui causa cognita, in jure pure & simpliciter fieri debet; aliter facta pro non facta habetur. Si tamen cognita causa vel ab eo, qui sui judicij & mentis compos fuerit, in manibus Ordinarij renuntiatio facta fuerit, vel si consenserit Ordinario conferenti, sive post sive ante professionem expresse aut tacite factam, Renuntiatio sive Resignatio valet. Alioquin beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra annum probationis alicui conferendum, sed interim per alium idoneum deservietur, assignata de proventibus portione congrua cap. 4. de *Regularibus in VI.*

AD QUESTIONEM 3. ET 4.

Constat ex his omnibus quæ suprà diximus, post voti solemnis nuncupationem sive professionem, quam in scriptis fieri debere probavimus suprà, & jure nostro art. 55. *Ordinationis Molinensis* & la *Declaration ensuita*, Monachis aut Sanctorialibus non licere amplius recedere & ad sacerdolum reverti, nequidem cum Abbatis, aut Abbatissæ licentia: ac per consequens bona, quæ contulerint in Monasterium professi, quanavis accedente Superiorum consensu, recipere non debent, sed in perpetuum apud Monasterium, cui legitimè acquisita fuerunt, debent remanere. Nec enim ea, quæ semel Monasterio quæsita fuerunt, permittitur Abbatii alienare; quod tamen eveniret, si contra Canones, quæ semel in Monasterium intulerit Monachus aut Sanctorialis, ei restituantur. Quod quidem adeò latè à Justiniano in favorem Religionis acceptum fuit, ut si qui Monasterium ingreditur, nihil de bonis propriis & facultatibus expresserit, tacite & per consequencias professionis se & omnia bona dedicasse Monasterio præsumatur; adeò ut omnem in posterum de illis statuendi facultatem amittat: quoniam non amplius ejus propria, sed ipsius Monasterij intelliguntur. Excipitur tantum casus, in quo si liberos habeat, de suis inter eos facultatibus disponere potest, sicut plenius exprimitur in *Novell. 5. cap. 5. 6. & 7. & Novell. 76. & 123. cap. 38.* quo jure Ecclesia diù fuit usa. Moribus tamen nostris admissum non est, ut tacite per ingressum solum Religionis intelligentur viri & mulieres non tantum corpus & animam, sed etiam substantiam & bona, de quibus non expresse caverint dedicare Monasterio quod ingrediuntur. Quin imò prudentissime antiquioribus regulis constitutum, ut qui Monasterium ingreditur, in illud de propriis facultatibus nihil inferret, sed prius bona si qua suppeterent, vel heredibus legitimis, vel pauperibus erogaret pro arbitrio suo ante professionem tit. 65. Concordia Regularum sancti Benedicti Abbatis Anianæ cap. 15. & 20. in quo hæc ratio redditur, ne *confidentia* hujus oblationis dedignetur pauperibus se fratribus coquare; aut certe si susceperint, cautiùs per multum tempus prudenti consilio servare debent. Nam multis experimentis frequenter perhibitum, quosdam susceptos eorum quæ secum detulerant, & quæ jam in Dei opere fuerant

AD C. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 65

tant dispensata : reperfactos postea non sine injuria Monasterij ; sacrilego spiritu , ingenti blasphemia repetuisse : quod ex Cassiano desumptum est in fine anni 400. lib. 4. de *Institutis Renuntiantium cap. 4.* eademque ratione nititur *Canon penult. Causa xvi. Qu. 7. qui & reperitur in can. ult. Quast. 3. Causa xx.* Ubi si per avaritiam Episcopi vel Abbates quolibet homines circumveniendo eos totonderint , qui illecti professi sunt , manent in Clericatu vel in Monasterio ; res verò eorum , quas tali occasione surripuerunt , eorum heredibus restitui jubentur. Unde meritò ad finem *Canonum penult.* & ult. *hujus Qu. 4.* Gratianus notavit , laudabilis esse , si sibi sua non dico reddantur (qui nempe è Monasterio recedit sive ante sive post professionem) sed auferri sinantur , quām gravius aliquid ab eo in proprium , vel Monasterij periculum & injuriam inferatur. Postremo in Concilio Tridentino *Can. 17. de Regular. sess. 25.* constitutum , ut recendentibus ante possessionem quæ sua fuerant , licet antea quocumque titulo donata fuerint Monasterio , restituantur : post professionem verò hujusmodi donationes & liberalitates omnimodo conservantur Monasterio , ticest ab eo recedant. Postea tandem Regum nostrorum constitutione , quæ planè convenit cum Canonibus antiquis , de quibus suprà diximus , generaliter tam Monachis quām Sanctimonialibus prohibetur , donationes vel liberalitates in Monasteria conferre directè vel indirectè , in quæ ingrediuntur , vel quæ sunt ejusdem Ordinis : admissæ tantùm fructuariæ pensiones , quæ cum vita donantium extinguntur ex autoritate rerum judicatarum.

Occasione verò rapta , in hac ipsa *Quast. de rerum Ecclesiarum alienatione* breviter tractatur , quam certum est interdictam Prælatis omnibus , extrà certas causas legitimas , & non servatis solemnibus (alioquin irritæ sunt & inutiles) , & in crimen sacrilegij incidere Prælatos , qui non rite alienare dicuntur *Can. 1. 2. 3. 4. & 5.* & iterùm *Can. 12. 13. 15. 39.* 40. & 41. Et quidem 40. can. qui desumptus est ex Concilij Agathensis *Can. 56.* statuitur ut quod ab Abbatibus venditum est sine notitia Episcopi , ad Episcopi potestatem revocetur ; & mancipia Monasterio donata non posse ab Abate manumitti. Donationis enim quædam species est manumissio : & hæc elegans ratio subiicitur. *Injustum enim putamus , ut Monachis quotidianum opus rurale facientibus , servi eorum libertatis otio potiantur.* *Can. verò 41.* Greg. I. constituit Abbatis , qui Episcopo Dicēsanō sub prætextu fabricandæ Ecclesiæ possessionem aliquam largitus fuerat , donationem valere tantùm intra ambitum ædificatæ Ecclesiæ : quicquid verò extrà ambitum Ecclesiæ supererat , ad jura Monasterij revocari debere. Notissimus verò est *Canon ult. ex B. Augustini sermone 2. de vita Clericorum* , non debere Ecclesiam suscipere , quæ exheredato filio , pater ei reliquerat ; ut & generaliter , si cùm pater Liberos non haberet nec speraret , res suas omnes retento usufructu donasset Ecclesiæ , hujusmodi donationem , quamvis in gratiam Ecclesiæ factam , supervenientibus postea Liberis irritam faciendam. Quod quidem in omnibus donationibus quibuscumque personis factis habet locum ex celebri *Constitutione Constantini Lege si unquam Cod. de Donationibus revocandis* , per quam sicut testamenta , licet ritè facta rumpuntur agnatione liberorum ; ita & donatio inter vivos ipso jure revocatur. Nec crediderim opus esse

speciali revocatione donatoris: verba quippe & autoritas Constitutionis absque ullo facto donatoris, ipso jure rescindunt donationem, ut quicquid largitus fuerat, totum revertatur, in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum: quod & Glossa ad ea verba notat.

Nec obstat quod dicitur in fine *hujus can.* in potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non poli. Vel enim sanctus Augustinus ad ius antiquum & commune respexit, quod ante Legem si unquam obtinebat: aut sanè Legem generalem contra Ecclesiam non habere locum existimavit, arg. L. 34. §. exceptis, & L. 35. in fine Cod. de Donat. & L. decernimus Cod. de sacros. Ecclesiis: aut certè prolixior fuerat constitutio illa, & in ea aliquid in gratiam Ecclesiarum additum; quod cum hodie in d. Lege non extet, Ecclesia jure communi in hoc articulo uti debet.

Hactenus explicavimus Canones qui propius ad materiam quam tractavimus, accedunt: reliqui pertinent vel ad jus immunitatis & azylorum, quod confugientibus ad Ecclesias, cæmeteria, vel Monasteria Legibus Imperat. & Regum Christianorum concessum fuit; vel ad pœnas, quæ interficientibus aut verberantibus Clericos vel Monachos Legibus & Canonibus impositæ fuerunt.

De Jure immunitatis & pœnis, quæ Canonibus & Legibus imponuntur illis, qui tanquam sacrilegi confugientes ad Ecclesias vel Monasteria abstrahunt, nullo dato Sacramento illis, qui præsunt Ecclesiæ vel Monasterio, de immunitate, id est confugientem ad Ecclesiam, nec in vita, nec in membris ullam pœnam corporalem passurum, agitur à *can. 6. hujus Qu. 4. ad 12.* & iterum *can. 19. 20. 21.* & *can. 32. 34. 35.* & 36. qui Canon in eam rem dignissimus notatu; rem quippe totam explicat, & desumptus est ex Concilij Aurelianensis I. *can. 3. & 5.* quibus à Gratiano adjunguntur merito *can. 37. & 38.* de servis, qui confugiunt ad Ecclesias, quomodo, & quibus conditionibus propriis dominis restituendi sint: quod & *can. 32. 33. & 34.* plenius explicatur. Quod vero ait *canon 36.* Legem Rom. de confugientibus ad Ecclesiam constituisse: intelligit Leges, quæ continentur in Cod. Theod. sub tit. de his qui ad Ecclesias confugiunt lib. 9. tit. 45. ex quo plerasque Leges Justinianus transluit in titulum 15. lib. 1. Codicis de his qui ad Ecclesiam confugiunt, & ne quis ab Ecclesia abstrahatur, juncta Lege 22. §. 1. Cod. de Episc. & Clericis, & Novell. 17. cap. 7. qua cautum, homicidas, adulteros & virginum raptores (idem de gravioribus criminibus dicendum) azylorum jure non esse defendendos, ut nec publicos vel privatos debitores; sed inde omnimodo abstrahendos, vel pœnis legitimis subiiciendos, vel ad solutionem publici vel privati debiti compellendos. Quoniam autem cum armis saepe ad Ecclesias confugiebant, & ne abstraherentur armorum potius præsidio, quam reverentia & loci religione se defendebant; res ad arma & caedes saepissime deveniebat, & ipsi Clerici aliquando vulnerabantur & occidebantur Lege 3. & 4. Cod. de his qui ad Ecclesiam confugiunt, *can. 7. 19. & 22.* & Gratianus ad *can. 29. hujus Qu. 4.* inde sumit occasionem Gratianus tractandi de interfectoribus & percussoribus Clericorum & Monachorum, qui ex dictis Can. generaliter pœnam sacrilegij incurrire dicuntur, excommunicationis & anathematis; & in aliquibus casibus etiam Legibus Principum, sacrilegorum pœnam incurre-

AD C. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 69
bant, L. si quis in hoc genus sacrilegij 10. & L. 13. Cod. de Episc. & Clericis. In supradictis verò Canonibus præter pœnas Ecclesiasticas, depositionis, excommunicationis & anathematis, vel pœnitentiæ, referuntur pœnae quædam, sive emendationes, satisfactiones & compositiones introductæ ex veteribus Constitutionibus Francorum & Germanorum, & ex Capitularibus Regum nostrorum, quæ Conciliis probatæ fuerunt, quamvis incognitæ Jure Romano: dictis autem Constitutionibus tam Francorum, quam aliorum populorum & gentium, quibus Imperium Romanum tandem in prædam magna ex parte cessit, certa pœna pecuniaria præfiniebatur, sicut constat can. 14. 16. 20. 21. 25. 26. et 27. hac nostra Quæst.

In can. verò 14. et 26. illa compositio, sive satisfactio, & emendatio appellatur *Vuiregeldus*, qua voce significatur pretium redemptionis, sive emenda & satisfactura, quæ debetur vel ei, qui damnum & injuriam passus, cæsus, verberatus, aut occisus est; aut ejus liberis, Uxori, heredibus, vel his, ad quos pertinet, v. g. si Presbyter imperfectus fuisset, ex can. 3. et 4. Concil. Triburiensis sub Arnulpho, Vuiregeldi sive compositionis tripartita est divisio; pars una altari, cui ordinatus fuerat; pars altera Episcopo, in cuius erat Diœcesi; tertia parentibus, de quibus ortus est: unde fluxit origo de l'interest public. Præter autem hujusmodi satisfactionem fisco mulcta, sive certa compositio solvebatur. De pœnis verò pecuniariis adversus percussores & imperfectores Clericorum constitutis primùm à Carolo Magno, & postea à Ludovico Pio in Concilio apud Triburim, vide Tom. 2. Concil. Galliæ pag. 445. & can. 21. 27. et 28. hac Qu. 4.

Observandum verò moderatiū puniri & simplici emendatione, ut dictæ Leges loquuntur, qui Presbyters & Clericos, multoque magis Monachos, Laicalibus vestibus induitos verberaverint, vel occiderint: si autem in habitu, quem ferre præcipiuntur, verberentur aut occidantur, triplici emendatione can. 25. hac Qu. 4. et cap. ult. de vita et honestate Clericorum, juncto cap. 4. de Sentent. excommunicat. Eademque ratione si sine Literis Episcopi Diœcesani Clerici vel Monachi profiscuntur, sibi debent imputare, quod non Clerici vel Monachi esse putentur L. 22. si quis per calumniam Cod. de Episcopis & Clericis, et cap. 9. extræ de Clericis conjugat's. Postremo Innocentius II. in celebri can. si quis suadente 29. hac Qu. 4. constituit, ut si quis in Clericum vel Monachum violentias manus iniicerit, anathematis vinculo subjaceat ipso facto, & ut vulgo loquuntur, incidat in Canonem latæ sententiæ, & præterea non possit ab ullo Episcopo absolvvi, antequam Summo Pontifici se præsentaverit, ejusque mandatum suscepere. Excipitur, nisi mortis periculum immineat: tunc enim ut in reliquis atrocissimis criminibus cuilibet Presbytero absolutio permittitur: huic tamen Canoni plurimas exceptiones subiicit Glossa ad d. can. si quis suadente, quarum pars maxima desumitur ex cap. I. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 17. extræ de sentent. excommunicationis.

AD QUÆSTIONEM 2.

Causa xviii.

Quartus in hac Qu. i. Gratianus, utrum Monacho ad Episcopatum promoto, Monasterium, quæ ab hujusmodi Episcopo acquisita fuerint, petere possit; vel utrum Episcopalis Ecclesia, cui intitulatus fuerit Episcopus, sibi possit vindicare, quæ quondam Monachus existens Monasterio tradiderit. Decidit quæstionem, allato *unico Can.* qui in Concilio Germaniæ apud Altheum in Moguntino Episcopatu convocato, & præsente Imper. Conrado celebrato, extat ordine 36. cum quo jungendum est *cap. i. extrâ de successione ab intestato.* quod ejusdem Concilij est ultimum sicut constat ex subscriptionibus ei subjectis apud Burchardum *lib. 1. cap. 227. et 231.* Dicti verò *Can.* nostri hæc est sententia, Monachum per promotionem ad Episcopatum à jugo regulæ monasticæ & professionis absolvit, proindeque capacem fieri Monachum hereditatis paternæ & bonorum sibi quærendorum. Quæcumque tamen post Episcopatum acquisierit, tenetur Ecclesiæ restituere, cui intitulatus fuerit Episcopus; quæ verò ante Episcopatum acquisierit, vel habere visus fuerit, ut recte loquitur Canon (nihil enim proprium Monachus habere potest) Monasterium sibi vendicabit. quæ est secunda pars.

Ad primam verò partem notandum ex ejusdem Concil. *can. ult. relato in cap. i. de successionibus ab intestato,* ita distinguendum esse, ut si quid aliunde quam ab Ecclesia Episcopus, Presbyter, vel Clericus obtainuerit, ei liceat, quibus libuerit vel Ecclesiæ cuilibet, vel consanguineis suis, vel amicis largiti: si verò non donaverint, vel reliquerint, intestatorum hereditates & bona ad Ecclesiam pertinebunt, cui ordinati sunt Episcopi vel Clerici. Excipit Glossa, nisi consanguineos habuerint, quos quidem rectè ait Ecclesiæ præferri ab intestato *ex can. ult. xii.* *Qu. ult. desumpto ex Concil. Triburiensi sub Arnulpho;* et si Triburiense Concil. constet esse antiquius *d. cap. i. de successoribus ab intestato:* nempe habitum fuit circa annum 896. dictum verò *cap. i.* est ex Concil. habito circa annum 916. quod posterius est, & quo in gratiam Ecclesiarum emendatum fuit quod priori Triburiensi statutum fuerat, sicut integer Canon indicat apud Burchardum, ibi: *donare eis liceat, cui voluerint, dum vivant, vel consanguineis vel amicis etc.* quæ verba ideo Gregorius IX. omisit in *d. cap. i.* quia jus vetus prævaluerat, & æquius viatum fuit, & desumptum est ex jure civili *L. 42. §. 2. Cod. de Episcopis et Clericis, et Novella 13. cap. 13.* ex qua dictus Canon Concilij Triburiensis descriptus est, quo constitutum, ut in bonis, quæ aliunde quam ab Ecclesia vel ejus occasione obvenerint, si Episcopi vel Clerici decesserint intestati, præferantur Ecclesiis heredes legitimi. *Quod si ab Ecclesia, vel occasione Ecclesiæ fuerint acquisita, de iis statuendi, præterquam moderate in pias causas, eis admittitur potestas; sed remanere debent penes Ecclesiam, cum aliquibus tamen temperamentis tuto sit. de peculio Cleric. et cap. 1. 2. 7. 8. 9. 12. extrâ de testam.*

Moribus verò nostris indistinctè Episcopis & Clericis, etiam si ut in specie nostri *can.* Monachus factus sit Episcopus, liberum erit in quoslibet

vel donationibus inter vivos , vel ultimis voluntatibus relinquere ; & si decesserint ab intestato , non Ecclesia , sed eorum proximi & legitimi heredes ad successionem admittentur.

AD QUÆSTIONEM 2.

IN hac 2. Quæ. quamvis Gratianus unicam hanc quæstionem proponat, tan per Episcopum Abbas sit eligendus, an tantummodo à propriis fratribus sit instituendus ; generaliter tamen tractavit in ea de Episcoporum in Abbates & Monachos autoritate & potestate , itemque in Monasteria atque Monasteriorum bona & redditus. Præterea inseruit quosdam Canones de Sanctimonialibus eorumque disciplina , nempe *Can. 11. 21. 22. usque ad 25. inclusive.*

Quod ad 1. Quæ. attinet , sicut constat ex plerisque *Can. hujus tit.* Episcopos ab antiquo in omnes Ecclesias & Clericos & in bona & jura Ecclesiæ liberam & plenam habuisse potestatem & administrationem , antecedente tamen Cleri & Presbyterij sui consensu ; ita & in Abbates , Monachos , Monasteria eorumque bona & redditus , sæpiissimè Abbates instituisse , indignos causa cognita removisse , regulas & institutiones Monachorum probavisse , confirmasse , emendasse , causa tamen cognita , & legitimis in ea re Conciliis habitis. Quæ quidem antiqua Episcoporum potestas Concilio Chalced. confirmata fuit *Can. 4. & 8. & vii. Synodi Can. 13. 14. 17.* quæ Concilia & Canones legibus Imperatorum confirmantur *Novella 131. cap. 1.*

Quod ad Abbatum verò electionem attinet , jure civili & canonico variatum fuit. Et quidem aliquando à Diœcesanis Episcopis electi & præpositi fuerunt Abbates : sæpius verò obtinuit ferè in omnibus locis , ut congregationi Monachorum permitteretur electio ; confirmatio verò & benedictio Electi pertineret ad Episcopum , in cuius diœcesi positum est Monasterium : cui est etiam permisum reiicere indignum Abbatem *Lege 47. Cod. de Episc. & Clericis. & Novell. 123. cap. 34.* Unde in Regula sancti Benedicti cap. 4. §. 1. *Quod si etiam omnis Congregatio vitiis suis , quod quidem absit , consentientem personam pari consilio elegerit , & vita ipsa ad notitiam Episcopi , ad cuius diœcesim pertinet locus ipse , vel ad Abbates , aut Christianos vicinos claruerint , prohibeant pravorum pravaleere consensum , sed domui Dei dignum constituant dispensatorem.* Ad quam regulam B. Benedicti vide concordiam regularum B. Aniani Abbatis *cap. 4. de ordinando Abbatem.* Et hic juris progressus necessarius est ad veram conciliationem Canonum hujus Quæ. qui manifeste pugnare videntur , & maximè *Canon 1.* qui sumptus est ex Concilio Toletano IV. *Can. 50.* cum can. reliquis hujus Quæ. quibus sæpiissimè indulta Monachis libera electio Abbatis , & dispensatio honorum Monasterij. Quas duas exceptiones ad illam summam potestatem Episcoporum temperandam solebant Principes & Proceres in foundationibus Monasteriorum fere semper subiicere , earumque confirmationem à Regibus , Episcopis Diœcesanis , & tandem à Summis Pontificibus impetrare. Vel etiam ultrò & sponte Episcopi Diœcesani religionis augendæ & amplificandæ gratia , vel in ipsa fundatione , vel post

fundationem, ex mera liberalitate, Conciliis in eam rem convocatis, & populi consensu adhibito, & liberam electionem, & bonorum Monasterij administrationem concedebant, & jura Episcopalia remittebant; aliquando certa pensione, aut censi reteno, & ut loquuntur Canones, certis juribus, eulogiis, & servitiis sibi nominatim reservatis, ut constat ex his quæ Gratianus notavit ad canon. 29. Et ult. hac nostra Qu. juncto can. 124. C. I. Qu. I.

In reliquis quæ ad Sacramentorum collationem, reformationem & jurisdictionem pertinebant, plena & illibata remanebat in Monachos & Monasteria Episcoporum potestas, quæ Episcopis specialiter in antiquis exemptionibus & privilegiis solet conservari; scilicet emendatio, disciplinæ correctio, & animadversio in Abbatem & Monachos, jus visitandi & exhortandi & corrigendi semel, vel sæpius in anno, potestas admittendæ renunciationis Abbatis, permisso ædificandi nova Monasteria & cellas, & similia, quæ referuntur in can. 8. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & potissimum 28. & 29. Quæ omnia solent Interpretes sub generali nomine Legis jurisdictionis comprehendere. Aiunt enim Monasteria esse obnoxia & subjecta Episcopis Lege jurisdictionis tantum, non autem Lege Diœcesana teneri. Quam distinctionem inter Legem Diœcesanam & Legem jurisdictionis introduxerunt contra mentem Canonum, tam ex suprà citatis Canonibus, quam ex can. I. x. Causa, Qu. I. ad quem Glossa Joannis Hugutionis, vel Teutonici, qui primus autor fuit illius distinctionis; quibus adde Can. inter cetera x. Qu. 3. ibi. Monasteriorum tamen Basilikis ab hac solutionis pensione sejunctis: & can. Cum pro utilitate 34. xvi. Qu. 1. & can. 42. xvii. Qu. 4. qui Canon est pars ult. can. 5. ejusque præcipui hujus Quæst. nostra: quem Canonem licet Ivo in decreto & Gratianus, quos passim omnes sequuntur, & ipse Baronius tribuant Concilio cuidam Lateran. habito sub Greg. I. inductione 4. esse tamen supposititium & commentum otiosi cuiusdam Monachi alias probavimus, qui ex epistolis variis Gregorij I. maximè verò ex ep. 18. lib. 7. Regist. scripta ad Marinianum Ravennatensem Episc. contexuit fictum illud Concilium. In qua epist. continebatur speciale privilegium Monasterij sancti Joannis & sancti Stephani in Clasitana civitate prope Ravennam; occasione cuius epistolæ Gregorij & aliarum similius, quæ singulare privilegia quædam continent in gratiam quorundam Monasteriorum, generale & commune omnibus Monasteriis fabricavit privilegium in illo imaginario Concilio. Evidens argumentum falsi præbet liber Registri confecti sub inductione 4. in quo non reperitur illud Concilium. Præterea inaudita quædam privilegia in eo referuntur, ut nempe ab omnibus canonice juribus & Episcopali jurisdictione Monasteria omnia forent exempta; quamvis in suprà citatis Gregorij epist. & Canonibus suprà relatis in hac Qu. quorum etiam quidam autorem habent Greg. I. nominatim constituantur jurisdictioni & moderamini Episcopali obnoxia esse Monasteria. Et ad can. penult. Et ult. adversus clausulam postremam ficti illius Concilij, recte notat Gratianus, Monasteria non fuisse exempta canonice omnibus juribus. Nec ullum Concilium unquam fuit habitum, in quo generaliter omnia Monasteria à jurisdictione Episcopali libera declararentur. Quin

Differ-
tat. in
cap. Au-
ditis de
Pres-
cript.
sap. 2.

AD C. XVI ET SEQQ. DE STATU MONACH.

imò exceptis his, quæ specialiter remissa fuerunt privilegiis, & quibusdam Conciliis particularibus; in reliquis omnibus, ut diximus, integra & illibata mansit autoritas Episcoporum, maximè temporibus Gregorij I. & multo post Gregorium.

Ex Canonibus itaque supra citatis Joannes Hugutio, sive Teutonicus commentus est novam distinctionem inter Legem Diœcesanam & Legem jurisdictionis: quam Honorius III. primum in *cap. dilectus extra de Officio judicis Ord.* sequitur, & Innocentius IV. in *cap. i. de Verb. signif. in vi.* Diximus novam esse distinctionem: nam Legis Diœcesanae nomen & in antiquis Canonibus, & in decretalibus summorum Pontificum, qui præcesserunt Innocentium III. continet jus universum, potestatem, jurisdictionem & autoritatem omnimodam, quam in suam Diœcesim habet Episcopus: Jus Episcopale, ut loquitur *cap. 7. de Religiosis domibus;* sicut & lex Metropolitana Jus universum vocatur, quod Metropolitano competit in sua Provincia *cap. Pastoralis extra de Officio Iudicis Ordinarij.* Privilegium Metropolitanum vocat *lex 16. Cod. de sacros. Ecclesiis;* eodemque sensu *ta. apoteosis in can. 6.* Concil. Nicæni. Joannes Teutonicus specialem quamdam Legem Diœcesanam confinxit, quia Monasteria omnia perperam libera & soluta esse contendit: nec enim aliter soluta sunt & libera à Lege Diœcesana, nisi nominatim constet de privilegio.

Illam verò Legem Diœcesanam ait consistere in perceptione Cathedratici sive Synodatici, 3. vel 4. parte Decimationum secundum diversas consuetudines, & in immunitate procedendi ad Synodum, vel ad exequias. Legem verò jurisdictionis esse ait, qua Episcopus Clericos ordinare, Altaria, Ecclesias & Virgines consecrare, Chrisma confidere (quæ tamen Innocentius IV. & veteres omnes Interpretes rectè notant non pertinere ad jurisdictionem) corriger, suspendere, de Causis civilibus & criminalibus judicare: cui Legi jurisdictionis Monasteria obnoxia esse & ipse admittit, & reliqui Interpretes; nisi nominatim ab ea fuerint exempta, vel ab ipsis Diœcesanis, quorum intererat, causa cognita, & cum Cleri proprij consensu; vel à summo Pontifice. In hujusmodi verò privilegiis disquirendis inspiciendum diligenter, quibus verbis concepta fuerint, & quid specialiter & nominatim concessum, aut remissum fuerit: nihil enim ultrà exigi vel peti potest; sed strictissimè verba privilegiorum, ut pote contra Jus commune, coercentur *cap. 18. extra de excessibus Prelatorum,* *cap. 6. & 10. de privilegiis in vi.* Et *cap. 1. de verb. signif. in vi.* Exemptis autem Monasteriis, non tamen Ecclesiæ & Capellæ ad Monasteria pertinentes censentur contineri, sed indistinctè remanent sub plenissima autoritate & jurisdictione Episcopi; nisi vel in eodem privilegio specialiter eximantur *cap. 3. de in integrum restitutionibus,* *cap. 6. de Relig. domibus,* *cap. 1. de Capell. Monacho cap. 16. 17. & 19. extra de privilegiis;* vel nisi pleno jure hujusmodi Ecclesiæ vel Capellæ eis concessæ fuerint; vel alio canonico modo jura Episcopalia Monasteria sibi acquisiverint: quæ de re plenissimè diximus ad *Qu. 2. & 5. C. xvi.* supra.

Reliqui Canones hujus Qu. ad Sanctimoniales eorumque Monasteria pertinent, ut initio hujus Qu. notavimus. In Sanctimoniales autem eorumque Monasteria Episcoporum præcipua semper fuit autoritas. Et qui-

dem in *can. 11.* p̄t̄cipitur, ut Episcopi Diocesani judicio p̄ponendus Monasterio Sanctimonialium comprobetur; ut duplia Monasteria Monialium & Monachorum tollantur, & à Monachis Moniales separantur *can. 21. 22. & 23.* *Qu.* quod & *L. 44.* *Cod. de Episc. et Clericis et Novella 123. cap. 36.* constitutum; ex qua Julianus breviavit *cap. 57.* *No- vell. 115.* ex cuius verbis exscriptus est *can. 22.* *hac Qu.* Illis autem omnibus locis duplia Monasteria districtissimè vetantur, quæ olim ita constructa fuisse notat Zonaras ad *can. 20.* *Synodi VII.* qui refertur in *can. 21.* *hac Qu.* ut non simul manerent viri cum mulieribus; sed ita invicem proximè habitabant, ut se mutuo audire possent.

In *Canone* verò *24.* ex Concil. Hispalensi II. injungitur Episcopis, ut carent Monasteria Virginum provida administratione & p̄ficio gubernari per Monachos; ita tamen ut electus Monachus Episcopi arbitrio ad gubernationem alicujus Monasterij fœminarum, cum Abbatissa, vel ea quæ p̄fet sola non loquatur, nisi sub testimonio duarum vel trium sororum, ita ut rara sit accessio, & brevis omnino locutio.

Postremo in *can. 25.* ex Concilio Lateran. generali sub Innocentio II. In *can. 26. et 27.* damnantur quædam mulieres, quæ sub Sanctimonialium nomine, quamvis nullam regulam amplexæ forent, privata sibi receptacula & domicilia ædificabant, in quibus Hospitalitatis velamine passim hospites advenientes quoslibet suscipiebant. Itemque prohibetur, ne simul cum Canonicis vel Monachis in uno Choro ad psallendum Sanctionales convenient. Plura de Sanctomialium Institutione & disciplina si desideres, adi quæ in celeberrimo Concilio Aquisgranensi sub Ludovico Pio & ejus iussu collecta fuerunt diligentissimè ex antiquorum Patrum autoritatibus, ac etiam prudentissime à Patribus d. Concilij constituta fuerunt, an. Christi 816. *tom. 2.* Concil. Galliæ. In quo Concilio pariter de Canonicorum, sive Clericorum Regularium & Monachorum reformatione & disciplina idem p̄fstitum: quibus adde quæ *sess. 25.* Concilij Trid. de Regularibus postremò sancta fuerunt.

Præterea de disciplina Sanctomialium adde *Can. 1. 8. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.* *C. xx.* *Qu. 1.* et *Can. 2. et 3. eadem Causa Qu. 2.* et *can. 1. Qu. 4. et 5. eam Causa xx.*

AD QUÆSTIONEM 1. 2. & 3.

Causa xix.

AD QUÆSTIONEM 4.

Causa xx.

IN prima *Quæst. Causa xix.* tractatur utrum Episcopus debeat permittere Clerico, ut propria relicta Ecclesia, Monasterium ingrediatur. In 2. utrum petita, & non impetrata ab Episcopo licentia, possit Clericus, invito Episcopo, vitam monasticam profiteri. In 3. utrum, Canonicis Regularibus ad Monachos transire liceat. In 4. verò *Qu. Causa xx.* quæritur,

ritur, utrum Monachis liceat ab eo Monasterio, in quo primum professi sunt, in aliud Religionis districtioris transmigrare.

Ut ad Clericos redeamus, cum notissimum sit Clericos omnes Episcoporum jurisdictioni & potestati esse subditos, Canonibus fuit constitutum, ut absque Episcopi proprij facultate & literis commendatitiis Clerici ad Episcopatum de Episcopatu, & de Ecclesia in Ecclesiam non transcant, multoque minus absque Episcopi licentia amplectantur Monachis-
cum can. 1. et 4. hac nostra Causa Qu. 2. can. 5. Concil. Venetici et can.
27. et 38. Concil. Agathensis, qui Canones sunt exscripti in can. 3. Cau. xx.
Qu. 4. Unde generaliter constitutum fuit in Concil. Rom. V. sub Greg.
VII. ut Sacerdotes sine licentia sui Episcopi, et Monachi de notis Mo-
nasteriis sine licentia suorum Abbatum, non recipiantur in Monasteriis. In qui-
bus postremis verbis alludit Greg. VII. qui antea Monachus fuerat Clu-
niacensis, ad regulam sancti Benedicti art. 61. in qua peregrinus Mona-
chus de longinquis provinciis proveniens debet suscipi tanquam hospes:
& si tempore hospitalitatis vitam & conversationem suam probasset, po-
terat admitti ad Monasterium. In fine vero subiicitur: *caveat autem Ab-
bas, ne aliquando de alio nato Monasterio Monachum ad habitandum susci-
piat sine consensu Abbatis ejus; quia scriptum est: quod tibi fieri non vis,
alteri ne feceris.* Hinc enim plerumque, ut ait regula Ferreoli cap. 6. Non
tantum inter Abbates, sed etiam inter Monasteria lites insanabiles oriun-
tur, dum unus nititur defendere quem recepit; alter revocare quem perdidit.
Excipitur nisi licentiam obtinuerint pro Abbatis sui nutu, & ut additur
in d. regula, *si tamen credi ullo modo potest, bono suo quemquam velle ex-
poliari, et alium sua nuditate vestiri.*

Si tamen Episcopus Clerico seculariter viventi, cui populum regen-
dum commiserit, nolit facultatem transeundi in Monasterium con-
cedere, in quo vel vitam monasticam vel Regularium Canonicorum
profiteatur, invito Episcopo poterit illud propositum amplecti; quia lege
privata dicitur, id est afflatus est Spiritu sancto, qui propriam conscientiam impellit: Spiritus autem Dei liber est, & nulli Legi publicæ obno-
xius, id est Constitutionibus & Decretis Canonicis solitus est. Quare
Episcopo contradicente, liber erit autoritate Apostolica, ut dicitur in can.
2. Qu. 2. *hujus C Vbi enim Spiritus, ibi libertas, et qui Spiritu Dei du-
cuntur, non sunt sub Lege.* Quod ita intelligendum, dummodo recte
probetur ille Spiritus, utrum à Deo sit: Et hoc de Clericis seculariter vir-
ventibus. Nam Canonicis Regulariter professis habitum monasticum susci-
pere interdicitur à Gregorio VII. & Urbano II. in can. 1. 2. et 3. dicta
C. Qu. 3. Additur hoc temperamentum, ut si vel levitatis instinctu, vel
districtioris Religionis obtentu recedere velint, sine Abbatis & totius
Congregationis permissione non recedant. Sine Abbatis, inquam, per-
missu: nam Canonici Regulares Monasteria & sua Clastra, victum com-
munem & proprium Abbatem habent, licet sint Clerici, non Monachi
cap. 9. et 11. *extra de vita et honestate Cleric.* Inscriptio vero can. 2. Q.
2. sicut & can. 3. Qu. 3. ita concipitur: *Abbatis S. Ruffi:* non quod sanctus
Ruffus illius congregationis sit Institutor, quæ congregatio primum in Subur-
biis Avenionis fundata in Ecclesia sancti Ruffi, qua excisa translatum est
Monasterium Valentiam circa an. Christi 1210. Cujus & Ecclesia sub no-

mine sancti Ruffi, & ejus Abbas totius congregationis caput vocatur.

Canon 2. *Qu. 3.* est ejusdem Urbani II. qui ex Remensi Canonico postea Cluniacensis factus Monachus, & deinde summus Pontifex, constituit ne Canonici regulares professi Monachi fiant, nisi publicè lapsi ad pœnitentiam peragendam redigantur inter Monachos. Quod si recedere præsumperint, ad ordinem Canonicum revocandi sunt, & deinceps memorialem cuculam deferre, & ultimo loco sedere inter Canonicos jubentur. Quæ constitutio ita generaliter concepta, plures Interpretum interpretationes & Pontificum declaraciones extorsit, nempe ut intelligatur eo casu, quo temere & fuite Canonici regulares recedunt, nec districtioris Religionis causa, nec imperata recedendi facultate à sua congregatione *cap. 12.* intelleximus de etate & qualitate & Ordine præficiendorum, & *cap. sane 10.* et *capitulo 18.* extra de Regnl. vel si in laxioris & facilioris Religionis Ordinem transeant *can. 3. xx.* *Qu. 4.* & ibi Gratianus. Quam in rem elegantissima est epistola I. Bernardi ad Robertum Nepotem, qui de Cisterciensibus ad Cluniacenses transierat. Si enim corde puro & conscientia non ficta in districtioris Religionis Monasterium fiat transitus, petita Licentia à Superiori, licet non obtenta *d. cap. non licet*, vel etiam si justa causa impediente licentiam non petierit, probabitur illa mutatio & transitus in austriorem regulam, prævalente lege privata conscientiæ & spiritus afflatus, qui liber est & omni lege superior. In quo tamen diligenti cautione opus est in probandis & dignoscendis spiritibus, ne forte Angelus Sathanæ se transformet in Angelum lucis. Quæ cognitio ad Superiores pertinet, superiores scilicet Monacho & Abbatे, inter quos disceptatur; v. g. Episcopus Dicecesanus, vel Metropolitanus erit adhibendus, vel summus Pontifex, si præcipue Monasterium sit exemptum: & ita intelligi debet supradictum *cap. 12.* ubi de Superiore agitur in casu controverso. In universa verò materia ipsius Bernardi consilium tanquam optimum proponemus in lib. de precepto et dispensat. *cap. 20.* Forte vult aliquid, inquit, de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese astringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis regula puritatem: si me consulit, non consolo, si non sane id Abbatis sui usurpavit affensu. Quamobrem? I. propter scandalum ipsorum, quos deferit; deinde quia certa pro dubiis relinquare turum non est: forsitan enim hoc tenere potest, illud non poterit. 3. Suspectam habeo levitatem, quia id sepe quod volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno propè momento id ipsum et cupientes et respuentes tam leviter, quam irrationaliter. Quod & ipse in epist. 115. aperiūt explicat, in qua aviditatem novitatis & mutationis Monasterij in Sanctimoniali damnat & culpat.

Postremo ex Canonibus qui supersunt in *Qu. 3.* usque ad finem, in *can. quidem 4.* & *5.* constituitur, ne quæ semel dedicata fuerint Monasteria, Episcopia vel alia venerabilia loca, usibus profanis deserviant. In *can. verò 6.* ante tyrocinij, sive probationis biennium tonderi Monachi prohibentur: qua de re diximus in *Qu. 2. C. xvii.* in fine verò *d. can.* quæ ad Legem Mauriti Imper. pertinent, à Correctoribus Rom. explicantur, nec enim intellexerunt Interpretes.

Quod verò pertinet ad *can. penult.* et *ult.* desumpti sunt ex Justiniani Novell. Et quidem *ult.* *can.* & verbis ipsis Juliani Antecessoris Novell. 115. *cap.*

AD C. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 75

488. & 489. editionis Pithœi; in quo *can. ult.* constituitur, parentes vel liberos Monachos factos non tantum non posse exheredari propter eam causam, quod Monachi facti sint (quod & anteà *Lege* 56. §. 1. *Cod. de Episc. et Clericis* Justinianus constituerat); sed hoc amplius, ut quamvis tempore, quo Laici fuerant, in causam ingratitudinis incidissent, aboleretur tamen ingratitudo per ingressum Monasterij *Novella* 123. cap. 41. & saltem legitimam tenentur omnimodo eis relinquere. In *can. verò penult.* quod desumptum est ex *Novella* 123. cap. 38. Monachus autem Monacha, qui liberos habent, possunt testamentum condere in gratiam liberorum extantium, servata Monasterio parte virili: an reliquis omnibus casibus eis adimitur testamenti factio post professionem: & ita ex parte immutatur *Novell.* 5. cap. 5. in qua liberis legitima tantum servabatur in bonis parentum post Monachismum: & ita concilianda est pars 1. d. *can. penul.* quæ sumpta ex d. *Novell.* 123. cum ultima parte ejusdem *Canonis*, quæ incipit ab iis verbis, *nunc autem*, &c. quam frustra *Glossa* & *Interpretes* conciliare conantur cum prima parte.

AD QUÆSTIONEM 1. 2. & 3.

Causa xx.

QUæ proponuntur in istis tribus Quæst. explicuimus ferè omnia in interpretatione *Quæst.* 1. et 2. *Causa* xvii.

Quæstionis autem primæ hæc est sententia, licet aliquando admissum fuerit, ut paterna oblatio Monachum faceret eum, qui nondum erat adultus; adeo ut nec post impletam pubertatem ei contradicere liceret, sed compelleretur in Monasterio permanere, ut constat ex pluribus *can. hujus Quæst.* 1. & ex ipsa *regula* Benedicti art. 59. postea remissa fuit & abrogata hæc durior observatio, adeo ut post pubertatem Liberi, qui à parentibus oblati fuerint, interrogentur utrum in ipso habitu monastico permanere cupiant, vel egredi. Quod jus postremum & antiquis Canonibus, & Decretalibus Pontificum usuque tandem receptum est cap. 11. 12. & 14. extræ de Regularibus.

Sicut autem invitox liberos non possunt offerre parentes, ita etiamsi majoris sint ætatis liberi, non possunt à parentibus prohiberi ingressu Monasterij *can. 1. & 2. C. xx.* *Quæst.* 2. nec semel ingressi possunt Monasteriis abstrahi *can. ult. C. xix.* *Quæst.* 3.

Proponuntur deinde alij Canones de ætate profitendorum Monachorum vel Sanctorum. Ea in re sæpius variaverunt *can. plerique* tamen, antiqui maximè, vel pubertatem vel majorem desideraverunt ætatem; tandemque Conc. Trid. definitum, ut post 16. annum tantum masculi vel fœminæ ad professionem admittantur, & ut aliter facta professio nulla sit ad quoscumque effectus *cap. 15. sess. 25. de Regul.*

Notandum etiam ex *can. ult. Quæst. 1.* & ex *ult. can. Q. 2.* professionem & oblationes liberorum à parentibus coram pluribus testibus fieri solitas, itemque profesiones à profitentibus ipsis manu propria conscriptas fuisse, vel saltem signo, aut subscriptione notatas, ne forte eis postea reclamare liceret, vel eorum parentibus & tutoribus, eo colore quod inviti.

coacti vi & metu professionem fecerint, non sua sponte. Quod Canonicis prohibitum can. 8. 9. 10. C. xx. Qu. 1. Et tota Qu. 3. Reclamare autem olim licebat intra annum & diem tantum can. 2. bac C. Qu. 2. Et cap. 2. de Regul. v. g. propter vim aut metum a parentibus illatum, aut propter professionem ante legitimam etatem factam, ut dictis can. probatur Et 4. can. Qu. 3. ejusdem C. in eam rem notando. Hodie vero ex Trid. Concil. intra quinquennium a die professionis in illis casibus reclamare permittitur cap. 19. sess. 25. de Regularib. in cuius fine confirmatur quod supra diximus, & quod praecipue tractatur in Qu. 4. C. xx. ut nemo Regularis, sive Monachus, sive Sanctimonialis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem: quod pluribus explicavimus in C. xix. eamque in rem elegantissima est Epist. Bernardi ad Robertum nepotem ejus, qui de Cisterciensibus anterioribus ad Cluniacenses laxiores transferat.

Postremo tam de vagantibus quam de fugitivis & desertoribus Monachis revocandis & retrahendis, & paenitentia eorum, qui susceptum Religionis propositum deserunt & ad saeculum revertuntur, multa veteribus & recentioribus Can. utiliter constituta referuntur in can. 16. 18. 33. 36. C. xvi. Qu. 1. Et can. 22. 3. 6. Et 8. C. xx. Qu. 1. et ejusdem Causa Qu. 2. can. 1. et Qu. 3. can. 1. 2 et 3. & postrem in cap. ult. de Regular. in quibus can. dicitur retrahendos esse hujusmodi Monachos, & anathemate ad redditum compellendos, publica paenitentia iudicandos omnibus honoribus & dignitatibus spoliatos, quas indebite in saeculo desertores hujusmodi sibi vindicaverant, & in sua Monasteria recludendos.

Quæritur vero quoties fugitiui Monachi recipi debeant in Monasteria quæ reliquerunt, an tantum semel, vel bis, aut ter revertentes teaneantur Monasteria recipere. Quam in rem Regula sancti Benedicti videatur usque ad tertiam vicem Monachos desertores jubere recipi art. 29. d. Regula. Et quidam ita hunc art. accipiunt, explicantes post tertiam vicem desertores non esse admittendos, quia talis apud Deum ejus agnoscitur servitij fides, qualis apud homines pedum stabilitas consistit. Quidam tamen alii, inter quos Petrus venerabilis lib. 1. epist. 28. pag. 668. in fine & seq. fugitivum Monachum, quandocumque revertetur & quotiescumque, suscipiendum esse secundum Domini preceptum: in quo tamen notabantur a Cisterciensibus Cluniacenses, quibus eruditissime respondet pluribus autoritatibus scripturæ. Dicant qui post trinam prævaricationem reverti volentibus aditum claudunt, cur Christus Petro, postquam ter negavit, non tantum indulxit, sed & pascendas oves tertio commisit? & ad verba postrema haec d. articuli Regule Benedicti: jam vero poste a sciat sibi omnem reversionis aditum denegari. Non, inquit, denegetur, sed sciat sibi denegari. In qua sententia cum nihil precepti inveniatur, non obicem misericordia posuisse, sed terrorem temerariis intentasse cognoscitur. Imo & Episcopi compellere possunt Abbates revertentes hujusmodi Monachos desertores suscipere; & praeterea, inconsultis Episcopis aut eorum Vicariis, ejusce Monachos prohibentur Abbates can. 59. Concil. Meldensis. Quoniam autem hujusmodi fugitiui & desertores saepissime negligere consueverant censuras & excommunicationes, Legibus Imperatorum multa super ea re constituta fuerunt Lege 53. §. quoniam et Lege 56. §. hujus autem Cod.

AD CAU. XVI. ET SEQQ. DE STATU MONACH. 77
de Episcopis et Clericis et Novell. 5. cap. 4. et 6. et Novell 123. cap. 42. ejusque rei inspectio injungitur & Episcopo loci Diœcesis, & provinciae Præfidi. Postremo cautum *Novella Leonis Philosophi* 8. Monachos vagantes & desertores non Præsidum provinciæ & Magistratum cohortibus & apparitoribus ascribi, sicut anteà solebat fieri, ut ex supra citatis Legibus constat; sed invitòs omnimodo à Magistris in sua Monasteria quæ deseruerant retrahendos. Et quod dicit in dicta *Novella* se id constituere secundùm Canones, intelligit *Can. 3. et 4. Concilij Constantinop. sub Photio,* ad quos vide omnino Balsamonem Græcum Interpretem.





A D C A U S Æ X V I.
C A N O N E S A L I Q U O T
& Nonnulla Decreti Loca.

T R A C T A T V S
De Antiquo Iure Patronatus.

P R A E F A T I O.

De Origine & antiquitate Iuris Patronatus.



LEGANTER Chrysostomus adversus eos, qui conquerebantur, quod longioribus Præfationibus uteretur, ait: *sicut corpus capite, arbor radice, fluvius indiget fonte, sic & Tractatus proœmio: hoc enim habent præfationes, ut nos libenter ad propria materiam perducant, & cum ad eam venerimus, evidenter præstent intellectum.*

Jus Patronatus describimus: *jus singulare, moribus receptum, ei benigne concessum qui adificavit, dotavit, vel instauravit sacra vel venerabilia loca.*

Nomen ipsum Juris Patronatus statim videtur evertere argumentum tituli de *Antiquitate*. Eo enim nomine & sensu, quo accipiendum est in hoc tractatu, & in *titulo* Decretalium de *Iure Patronatus*, non reperitur appellatum apud anticos Autores Canonum & Legum. Et nomen Patro-
ni, quod in *cap. 1 & 2. hujus tituli apud Gregorium extat*, deest in *Collec-
tione a. & in integris Canonibus*, qui reperiuntur in Concilio Cabilo-
nenſi II. sub Carolo Magno, & Triburiensi sub Arnulpho. Et fuit ad-
dictio Patro-*n*i à Raimundo Collectore Decretalium, facilioris intel-
lectus causa. Idem dicendum de *Advocati & Advocatiæ*, sive *Advocatio-*
nis nomine, quod & *Juri Patronatus* à recentioribus tribuitur. Sed ut
ait Augustinus *tractatu in Ioannem: quamvis Ptochæ & Monasteria novis
nominibus appellata sint; res tamen ipsæ ante nomina sua erant. Fundato-
ris, & foundationis nomine veteres simpliciter utuntur; sicut Græci οἰκοῦ,
vel οὐρανος & νησιος, sive ὁραδουνος.* Veteres Interpretes juris Canonici
Jus Processionis appellant ex pravo intellectu *Can. Pie mentis & Can.*
Frigentius xvi. Causa Qu. 7. Constat tamen inter omnes, licet diversa sint
nomina, *jus tamen de quo agimus descendere ex fundatione & instau-
ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Xenodochiorum, Capellarum, &*

Oratoriorum. Constat etiam provocandæ liberalitatis & munificentia Christianorum, ac Ecclesiarum ædificandarum causa, benignè jura omnia Patronatus fuisse introducta, eaque non tantum Fundatoribus ipsis concessa, sed etiam eorum heredibus.

Hujus juris originem deducemus non tantum ex antiquis Canonibus, & Constitutionibus imperatotum Christianorum; sed etiam quædam ex ipsorum paganorum Jurisconsultorum Libris excerptemus, quæ nostræ tractationi non parùm conducent.

Et quidem ut incipiamus à Libris nostrorum Jurisconsultorum, Xenophontis verbis admoniti, qui erga rempublicam plurimorum munificentiam hac ratione provocari suadebat, si eorum nomina in acta publica referrentur, εἰ μέλοις ἀναγέρεται εἰς τὸ ἀπαρτία χρόνον. Quare Jurisconsulti eadem ducti ratione permiserunt, ut qui opus aliquod publicum suis sumptibus & expensis liberaliter extruxisset, vel collapsum instauravisset, perfecto & restituto operi liceret nomen proprium inscribere, quod imposterum eradere non licebat: sed tantum permisum, ut si alias postea suis sumptibus instauravisset, vel ab alio factum opus adornasset; nomen proprium quidem inscriberet, sed manentibus priorum titulis, qui ea opera fecissent *Lege 2. §. ult. & Lege 3. §. ult. & Lege 4. §. penult. & Lege ult. §. ult. ff. de publicis operibus, juncta Lege 15. ff. de Pollicitationibus.* Suetonius in *Augusto. cap. 31.* opera cuiusque, manentibus titulis, restituit. Prudentius sane quam Rhodij, qui veterum beneficiorum immemores, eorum, quibus aliquando statuas decreverant, nomina solebant eradere, & alia nova substituere; veteribus tamen statuis remanentibus: quos meritò Divus Chrysostomus eleganter persequitur in *Rhodiaceis.*

Non dissimili ratione qui in honorem Deorum certamina publica institerant, de nomine suo ea vocare solebant; utque illis ludis non tantum qui instituissent; sed etiam eorum heredes & posteri præcessent, cave-re consueverant: eamque formam, quam semel præscripsissent, servandam esse omnino, & Fundatoris voluntati parendum sæpius Imperatores & Jurisconsulti rescriperunt *Lege 6. L. 21. §. 3. & Lege penult. ff. de annuis Legatis, et in eleganti Lege Septicia ff. de Pollicitate.*

Propriùs accedamus. In Templorum & Altarium dedicatione & Consecratione, quæ apud Paganos ritè & per Pontifices dicari & consecrari solebant, certas Leges & conditiones in ipsa consecratione solebat imponere conditor. Quod fieri consueverat, cum conditor postem tenens ædificatorum sacrarum ædium vel Altarium, præente Pontifice, solemnia dedicationis verba pronunciabat, τὰς τερμομούσιας ἐπὶ τῷ καθεπάσι φωνας, ut Plutarchus ea in re loquitur. Et in ipsa consecratione conditor breviter comprehendere solebat nomina Deorum, ritus, formas, & tempora peragendorum sacrorum. Quod & inscriptionibus consecrationum Templi vel Altaris inseri posteritatis causa solebat, & in ipsa Altarium vel Statuarum basi, ut eruditissime in Formulis pluribus confirmat Brissonius: cui tantum addemus insignem locum Servij in illud Virgilij.

In medio mihi Cæsar erit, postenque tenebit.

Ubi paucissimis verbis rem omnem eruditissimus Grammaticus comprehendit; & Legem 38. §. ult. ff. de auro & argento legato, in quo §. cavit testatrix, signum Dei fieri ex libris centum cum inscriptione nominis sui.

Transcainus ad Christianorum Imperatorum Constitutiones. Duas insig-
nes Latinis Interpretibus veteribus & novis pœnitus ignotas observamus
L. 15. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis, cuius autor est Zeno, & *L. 46. de
Episcopis & Clericis*, cuius Justinianus autor est. Utramque debemus era-
ditissimo Photio in suo *Nomocanone* tit. 2. de *adificiis Ecclesiarum*: unde
postea Antonius Augustinus, Contius, & postrem dominus Cujacius
exscriperunt, vel potius ex basilicis, in quibus tamen brevius referun-
tur. Quare merito Latinis Interpretibus parcendum, si juris Patronatus
non altius originem repeatant, quam à Justiniani *Novellis* 57. 67. & 123.
cap. 18. quamvis ex ejus *Novellis* 58. & 131. *cap. 7.* plurimæ quæstiones,
quæ ad jus Patronatus pertinent, possent illustrari. Sed ut redeamus ad
dictam l. 15. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis, quam Zenoni referendam esse
Contius indicavit, in fine illius legis verba, quæ ad propositum faciunt,
observanda; quæ pleniùs referuntur à Photio *dicto, titulo 2. administratio
secundum ea, quæ placuerunt Fundatoribus*, & secundum Leges & condi-
tiones ab eis appositis procedet. Et pleniùs in *dicta Lege 46. Cod. de
Episcopis & Clericis*, in qua tractatur de ædificatione Ecclesiarum, Mo-
nastrorum, Xenotrophiorum, & aliorum locorum venerabilium, hæc
verba notanda: *siquidem testatores certas personas proposuerint administrati-
onii, v. o. ξενοδόχους, προχοτεφός, aut prepositos & custodes quoilibet illas
proculdubio Episcopum permittere debere administrationem habere; ita tamen
ut inspectio ei competit, τὴν δὲ διοίκησιν ἀυτῶν ἐποιήειν, alieni actus esse ob-
servatores.* Et postea. Si nominationem testatores non proposuerint ejusmodi ad-
ministratores, sed suorum heredum arbitrio reliquerint; ea Iura pertinere ad
heredes, cum hac tamen cautione, ut si negligentius versentur, Episcopi ad-
monere eos possint; vel si in desidia permanent, alios idoneos præficere. Quæ
iterum confirmavit Justinianus *Novella 101. cap. 10.* Ex quibus Balsamo
hanc regulam conficit: *Leges & Statuta à Fundatoribus dicta vim &
robur obtinent; nisi Canonibus adversentur.* Eaque ratione motus Justinia-
nus in *Novella 57. jubet* à Fundatoribus idoneos in Ecclesiis, quas fun-
daverunt, nominari & eligi, non quidem quoilibet, sed dignos ex Epis-
copi diœcesani judicio & examine probandos. *Ne, ut ait, profanentur
sancta Dei.* Quæ verba desumpsit ex *cap. 2. Ezechielis*: iterumque incul-
cat *Novella 123. cap. 18.* qua non tantum Fundatoribus, sed etiam eo-
rum heredibus permisit, ut Clericos denominent & eligant; idoneos vero
nominatos consecrati & ordinari ab Episcopis.

Nominationis & Electionis verbis Julianus Antecessor, & vetus Inter-
pres Novellarum utitur: Justinianus ἀριθμὸν & ἔπλεγμα: Commendationis,
& commendandi verbo mediæ ætatis Patres & Scriptores in Concilis utun-
tur: Nos vulgo præsentationem vocamus. Episcopus vero in illis Novellis
consecrare, & ordinare dicitur. *Ζεχονέας*, nempe secundum jus vetus,
quod simul cum ordinibus necessariō & titulus, sive locus in Ecclesia,
Monasterio, vel alio venerabili loco assignabatur: alioquin ipso jure
nulla erat ordinatio *Canone 6. Concilij Chalcedonensis*. Hodie jure muta-
to, quia necessitas illa tituli absoluta laxata est, quoniam Clerici solent
præsentari, simpliciter institui dicuntur, & induci in professionem ab
Episcopo, vel quovis alio Prælato, ad quem de jure pertinet insti-
tutio.

AD CAUSÆ XVI. CAN. ALIQUOT DE ANTIQ. JURE PATR. § 1

Observandum tamen fundationum inspectionem & plenitudinem & **Ca-**
none & Lege potissimum incumbere Episcopis, in quorum potestate ab
initio, id est ante Jus Patronatus introductum, positæ sunt omnes Eccle-
siæ & loca venerabilia. Quare non immeritò Balsamo ad *dictum* tit. 2. &
ad Canonem 8. Chalcedonensis Concilij annotavit, ab ipsis Fundatoribus
non posse Episcopis Diœcesanis Legem contrariam imponi, ne curam
gerant fundationum; exceptis tantum Ecclesiis vel locis venerabilibus ab
Imperatoribus fundatis; vel nisi ante ædificationem ~~πατεράρχης~~ impetrar-
sent, id est ut vulgo loquimur, nisi in ipsa fundatione exemptionem ob-
tinuerint à Patriarcha; sicut apud nos à summo Pontifice, qui totius
Occidentis summum Patriarchatum obtinet: contradicentibus tamen Epis-
copis sèpiùs, ne sua iurisdictione fraudarentur. Tandem receptum apud
Græcos, ut tantum ejusmodi privilegia concederentur in ædificatione Ec-
clesiarum; non autem *ut* Ecclesiis antè ædificatis indulgerentur. Præ-
terea ex legibus suprà allatis & Canonibus notandum, nullam adhuc dif-
ferentiam fuisse inductam apud Græcos inter Patronos Ecclesiasticos &
Laicos; & deinde non tantum Episcopis, sed & summis Magistratibus
controversias, super jure fundationum exortas, fuisse permissas: imo nec
indignam Imperatoria majestate materiam fuisse existimatam. Hactenus
ex Legibus & Constitutionibus exscriptissimus, quæ origini juris Patrona-
tus conducere videbantur illustrandæ.

Veniamus ad jura Conciliorum & Canonum, quibus jus Patronatus
institutum, formatum, & præcipue compositum fuit: temporum or-
dinem & seriem sequemur. Et quidem ab illis incipiamus, quæ omissa
omnino, vel non satis intellecta fuerunt, non tantum à Gratiano, sed
etiam ab antiquioribus Latinis Collectoribus Canonum. Diximus jus Patro-
natus esse jus singulare, moribus receptum contra tenorem & rationem
juris communis. Sic enim Jurisconsulti interpretantur jus singulare in
lege jus singulare ff. de Legibus: utilitatis nempe benigna suasione intro-
ductum: autores nostri jus dispensativè receptum, *κατὰ οἰνοράπιαν καὶ συγκα-
τέλαιον*. Unde Patres Concilij Lateranensis sub Alexandro III. *Can. 17.*
aiunt, *Fundatores Ecclesiarum & heredes eorum in potestate, quam obti-
nent, Ecclesiam huc usque sustinuisse contra regulas*; nempe juris Canonici
antiquas. Elegansissime Ignatius in *epistola ad Philadelphienses*, *unam
Eucharistam*, ait, *unam Carnem Christi, unum Sanguinem pro nobis effu-
sum; unus Panis & Calix omnibus tribuitur, unum Altare uni, vel cui libet Ecclesia, & unus Episcopus* Sicut & Clemens in *Constitutionibus Apo-
stolicis, unus Episcopatus penes omnes Episcopos pro indiviso*. Itaque in singulis
Episcopatibus consequens est attendi & servari unitatem. Quare in om-
nes Presbyteros, Clericos, Monachos & Laicos, quatenus fidei domesti-
ci tenentur; & præterea in omnes Ecclesias, Oratoria, Monasteria, Sacra
denique omnia, vel Religiosa, vel Venerabilia loca, ad Episcopum Diœ-
cesanum potestas & autoritas plenissimè ab initio pertinuit *Can. 24. &*
25. Antiocheni Concilij, qui referuntur à Gratiano in *Can. 5. x. Q. 1.*
& Can. 23. xi. *Quæst. 1.* Quod jus commune Ecclesiæ iterum apertissime
declaratum est & confirmatum adversus Novatores in *Can. 4. & 8.*
Concilij Chalcedonensis: quod & juris nostri Autores agnoscent in *Lege
II. Cod. de Episc. & Clericis.* Quam in rem vulgo afferri solet *(anon em)*

nes Basilica XVI. *Ques.* 7. qui quidem canon sumptus est ex Concilio Aurelianensi I. *Can.* 19. *Omnis Basilica, quae per diversa loca constructa sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum Regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cuius territorio posita sunt.* Quam in rem observatione digni *Canon* 1. *Ilerdensis Concilij;* *Canon* 2. *ex Toletano III.* & *Canon Novarint x.* *Ques.* 1. qui sumptus est ex Concilio Toletano IV. & passim in dicta *Quaestione* 1. *Contra communem tamen & strictam rationem ex aequitate & indulgentia quadam receptum in gratiam Fundatorum, ut sicut ab initio de nomine Martyrum & Sanctorum, quibus Ecclesiae dicabantur, solebant appellari Ecclesiae; ita de nomine Fundatorum honoris causa denominarentur.* Et quidem de Sanctorum & Martyrum nominibus appellari Ecclesias non ignotum est; unde eleganter Paulinus Nolanus Episcopus in *epistola* 10. sub finem, & *epistola* 12. in descriptione elegantis Basilicæ, quam sancto Felici dedicaverat, Felicem Patronum ac Dominodium vocat. *Basilica igitur*, ait in *epist.* 12. illa que ad Dominodium instrum communem Patronum in nomine Domini Christi jam dedicata celebratur. &c. A Sanctis ad Fundatores nomen Patroni, sive appellatio & titulus Ecclesiae post multos annos translatum fuit passim: nec desunt antiquissima exempla. Unde inter titulos, sive Basilicas Romanæ Ecclesiae numerantur Basilica Constantiniana, titulus Damasi, titulus Equitij, titulus Pastoris, titulus Vestinæ, titulus Eudoxiæ, titulus Lucinæ & Faschiolæ; nomine repetito à Fundatoribus, sive masculis, sive fœminis. Eademque ratione in Africana Ecclesia Basilica Fausti, Severina, Leontiana, Basilica Florentia, de qua Augustinus *sermone* 37. inter nuper editos in *supplemento*: *Certè in nomine Dei facta est vobis hæc Ecclesia opera ipsius*, id est Episcopi Florentij, per fidelium fratrum collationes beneficas, misericordes, devotas facta est vobis hæc Ecclesia. Et posteà: *Honoratis Episcopum vestrum*, ut hanc Basilicam Florentiam vocare velle. Et ipsa primaria basilica Carthaginensis, in qua Sedes Archiepiscopi totius Africæ Metropolitani, appellata fuit Perpetua Restituta; teste Victore Uticensi *lib.* 1. conjunctim & de nomine Virginis Perpetua, cui dicata, & Restituta, Episcopi fundatoris nomine. Et ita appellatur Perpetua Restituta in Concilio Carthaginensi II. Nihil itaque præter nudum nomen & honorem Patronis & Fundatoribus ab initio concessum, quem tamen plurimi faciebant fideles; sicut & *Novella* 57. in initio Justinianus apertissimè significat. Eodem etiam modo Monasterium Studij insigne Constantinopoli à Studio piissimo viro, qui antiqua Roma relicta, & antea summis honoribus & administrationibus publicis defunctus sub Theodosio juniore, Constantinopolim concederat, & insigne illud Monasterium ædificaverat. Sic à fundatore Xenotrophium Sampsonis. De quibus Nicephorus Callistus in *Historia Ecclesiastica*, Justinianus *Novella* 59. *cap.* 3. & *Novella* 131. in fine, Procopius libro de *edificiis Justiniani*, & Liberatus in *Breviario de Nestorianorum & Eutychianorum heresi*. Qui solus honor Patrono, ut de nomine ejus Basilicæ, id est Ecclesiae, Oratoria, Monasteria denominarentur, ab initio videtur attributum. Seriùs & difficiliùs eis permissa fuit electio, nominatio, & ut vulgo loquimur, presentatio Clericorum ordinandorum: & adhuc tardius heredibus Fundatorum indultum. Prima & antiquissi-

AD CAUSÆ XVI. CAN. ALIQUOT DE ANTIQ. JURE PATR. §;
ma hujus nominationis, sive præsentationis primordia reperio, necdum
observata, in duobus Concilis Gallicanis, Arausiano I. habito sub Va-
lentiniano III. & Leone I. anno Christi 441. in quo *Canone* 10. *Episco-*
pus, qui in aliena Civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, permis-
sionem, licentia ædificandi, quia prohibere hoc votum nefas, non præsumat dedica-
tionem, que illi omnimodè reservatur, in cuius territorio Ecclesia aßurgit;
reservata adificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat Clericos in re sua
videre, ipsos ordinet is, cuius territorium est; vel si ordinati jam sint ipsi,
habere acquiescat. Et omnis Ecclesia ipsius gubernatio ad eum, in cuius Ci-
vitatis territorio Ecclesia surrexerit, pertinebit. Quod si etiam sacerdotalium
quicunque Ecclesiam ædificaverit, nullum ei jus simile concedit.

Iisdem ferè verbis undecim ferè post annis, idem Canon repetitus est
in Concilio Arelatensi II. *Can.* 36. sub eodem Valentiniano III. &
Leone I. hoc tantum additur: *Et si quid Ecclesia fuerit ab Episcopo con-*
ditore collatum, is in cuius territorio est, auferendi non habeat exinde po-
testatem. Hoc solum adificatori Episcopo credimus reservandum. Nihil
præterea simile secularibus qui Ecclesiæ ædificant, permittitur. Eoque
jure non tantum Galliam usam existimo per plures annos, sed etiam Ec-
clesiam universam. Nec enim jus & autoritatem Patronotum in nomina-
tione, vel electione, seu præsentatione antiquius reperio, quod ad secu-
lares pertinet, quam in Constitutionibus Christianorum Imperatorum,
quas suprà explicavimus; nisi forte coniiciamus exemplo adificatoris
Episcopi ad reliquos omnes Fundatores Clericos & Laicos idem jus mo-
ribus & usu, ut fieri solet, eadem suadente ratione fuisse receptum. Et
quidem primùm in Oratoriis, quæ propter fatigationem familiæ in
agris ædificari placuit, à dominis judicio Episcopi Presbyteros Ordina-
ri concessum fuit; ita tamen ut celebrioribus anni festivitatibus in civita-
tis, sive possessionis, aut Villæ Parœciam deberent convenire, ut aper-
tissime constituitur *Can.* 2. Concilij Agathensis primi. Et paulatim jus
illud invaluit, ut non ex scripto traditum posteà fluxerit in generalia &
particularia Concilia; eodemque privilegio, quo Ecclesiastici fundatores,
seculares donati fuerunt. Eoque spectat *Canon* 7. & 33. Concilij Aurelia-
nensis IV. anno Christi 541. quo statuitur: *Si quis in agro suo aut ha-*
bet, aut habere postulat Diœcesim, primùm ut terras ei deputet sufficienter
& Clericos etiam deputet, qui ibidem sua officia impleant.

Ad Canones de antiquo Iure Patronatus apud Gratianum.

Veniamus ad Gratianum, eodem ordine temporum servato in frag-
mentis, quæ vel ex summorum Pontificum decretis, vel ex Con-
ciliis passim collegit. Antequam tamen ad interpretationem illorum Ca-
nonum accedamus, refellenda priùs est veterum Interpretum & recentium
plerorumque sententia, qui Gelasium Pontificem juris Patronatus auto-
rem asserunt, autoritate ducti Glossæ ad pervulgatos *Can. pie mentis*,
& *Frigentius* XVI. *Quest.* 7. ad illa verba dictorum Canonum: *prater pro-*
cessionis aditum. Ut res in claro lumine ponatur, excutiamus illorum
Canonum sententiam. In utroque Gelasius rescribit ad consultationem

*Ad Can. Pie
mentis 26. &
Can. Frigentius
27. XVI. Q. 7.*

Episcoporum super consecratione Ecclesiarum , quas in re sua & in suis possessionibus domini fundaverant , easque consecrari postulabant. Respondebat Pontifex ab Episcopo , in Diœcesi cuius ædificatæ fuerant Ecclesiaz , non esse priùs consecrandas ; nisi ex more Ecclesiæ recepto , collata donatione & sumptibus ad exhibendos Ecclesiæ ministros , & quæ ad luminaria & custodiam necessaria sunt stipendia suppeditent , ut in vulgato *Canone 9. Dist. 1. de Consecratione.* In fine verò hujus Canonis ait Gelasius , Fundatorem nihil sibi proprij Juris in hujusmodi Basilicis à se fundatis habiturum , *prater processionis aditum , qui Christianis omnibus in commune debetur.* Glossa ad hæc verba adnotat , jus Patronatus appellari jus processionis , quod procedat Patronus cum instituendo nominato ad Episcopum : agnoscit tamen anteà Patronum nihil juris habuisse ex verbis *Can. noverint x. Quest. 1.* & alia quædam subiicit æque falsa. Quod verò dicitur Christianis omnibus jus illud esse commune , ita interpretatur , quia infideles & Judæi , etsi fundarent Ecclesiam , jus tamē Patronatus non acquirerent. Quæ planè absurdâ : quis enim infidelis vel Judæus vel accederet vel admitteretur ad ædificandas Ecclesiæ ? Falsum etiam jus processionis significare jus Patronatus : nec tempore Gelasij jus illud adhuc obtinuerat , quod ad præsentationem . ut vocant , pertinet ; nihilque aliud significat jus processionis quam jus conveniendi & ingrediendi in Ecclesiam. Tam enim Ecclesiam quam personas administrant Episcopi , & dotem ipsius Ecclesiæ in potestatem Episcopi transisse jure communii Ecclesiæ suprà explicuimus. Idque probat manifestè *dictus canon noverint* , quem Glossa falsò putat antiquiorem Canonibus , qui Gelasium habent autorem. Desumptus enim est ex Concilio Toletano IV. *Can. 32.* quod Concilium celebratum fuit sub Henorio primo , multis annis post Gelasium. Ignoratio verò verborum & temporum insignem errorem & confusionem induxit. Jus enim processionis nihil est aliud quam *ius & facultas conveniendi & communicandi in Ecclesia:* quæ facultas competit omnibus Christianis ex aequo. Idem Gelasius *culum processionis* appellat , *publicam frequentationem & processionem* in *Canone 5. & 7. de Consecrat. Dist. 1.* & in *epistola ad Episcopos Lucaniae* in *Codice Ecclesiæ Canone 4. & 25.* Ubi pravum morem corigit , qui irreperiat , *ut in quocumque nomine defunctorum , & quantum dicatur , nec omnino fidelium , constructiones adificatas sacris Processionibus audacter instituere presumant.* Cuius elegantis Canonis verba Autor *Anonymous* , qui Luitprandus vulgo appellatur , in *vita Gelasij* , & Amulo Lugdunensis Archiepiscopus in *epistola singulari* nuper edita retulerunt. Ideoque Gelasius in *Canone Presbyteri Dist. xxiv.* locum *Processionis celeberrimum* vocat , qui propter ipsius loci celebritatem & ritum magno frequentatur numero fidelium. *Legitimum ordinariumque conventum* appellat *Concilium Agathense can. 21.* & in *Conc. Laodiceni Canone 17.* *ovatæ* vetus Interpres non recentior Gelasio *Processionem* vertit , Dionysius Exiguus *Conventum*. Et in *Can. 56.* *ecclæ* vetus Interpres *Processionem & intran-* *tium populorum conventiones;* ut & Anastasius in *Lege 10. Cod. de hereticis & Manicheis.* Gregorius primus promiscuè *publicam Processionem & popularem conventum* appellat *libro 4. Registræ epistola 41. & 43.* eodemque sensu in Ordine veteri Romano procedere & *processionis* verbum usurpatur.

Hanc publicam processionem eleganter Justinianus *Novella* 67. cap. 1. *μητροπολιτον περιστορον* appellavit. Eruditè Julianus breviator & vetus Interpres Novellarum *publicam processionem* & *publicè procedere* interpretatur. Dictio enim *περιστορος*, à qua *processio* descendit; sicut & *ειροδος* specialiter à Scriptoribus Ecclesiasticis pro ingressu, introitu & religioso aditu in Ecclesiam ad participationem orationum & sacrorum Mysteriorum accipitur. Paulus *epistola ad Hebraos* cap. 10. quem appellat *ειροδος των αγίων*. Chrysostomus *homilia* 19. initio *περιστορον* explicat *την εἰς πνευματικην*. Et in primam *Timothae homilia* quinta sub fine loquens de accessu ad Eucharistiam: illud grave & acerbum quod non mentis puritate, sed temporis intervallo, dignitatem definis & metiris processionis aditus ad Eucharistiam destinati: τέτοιο οὐ δύνονται καθεξήτη διανοιας, ἀλλὰ διασημαν Χρόνος την αἰώνια διοίκεια της περιστορον. Iterum in primam ad *Corinthios homilia* 28. initio eadem repetit: sed non ita Paulus jussit; sed unum novit tempus aditus & communionis, puritatem conscientie, ἀλλά τὴν κατέχειν διάθετην περιστορον, την οὐρανικην καθεξήτη. Qua dictione uti solebant veteres pagani, quoties vel sacrificaturi progrediebantur in templa, aut in Senatum; vel in Curiam conveniebant. Aristophanes in *nebulis* in Choro quodam γέ τὸ θεῖον περιστορον μανιπέριον ἵερωπαται. Interpres vetus interpretatur θρησκείας μετὰ τῆς βόους. Unde *περιστα μέλη*, Poëmata & Hyanni, quæ in festis Deorum & in eductione victimatum concinebantur. Idem Aristophanes in *Avibus* pagina 581 περιστα μερία. Vide quæ Suidas & Etymologici. Autor in voce *περιστορος* & *περιστα* notaverunt. Et eodem nomine *περιστορον* solemnum ingressum in Senatum & Curiam, vel ad Comitia populi apud Platonem & Demosthenem significari doctissimus Budæus in Lingua Græca commentariis observavit. Et secundum hunc verum sensum explicanda duo decreta Deliensium inter marmora Arundeliana numero 12. & 14. in quibus propter munificentiam & liberalitatem quam quidam exercuerant in templum Apollinis Delij & Civitatem & Rempublicam Deliorum, conceditur eis eorumque heredibus jus Civitatis & ingressus in Senatum & populi Deliensis comitia, ita ut primi & ingrediantur & sedent γέ περιστορον περὶ την βρεκην γέ την δημον πρωτης. Quem locum Interpres non intellexit.

Ex his omnibus colligimus *processionis ius*, & *περιστορον* primum apud paganos, & posteà apud Christianos significare religiosum aditum & ingressum cum cultu & præparatione, in templum vel ædes sacras: qui processus & aditus proculdubio Christianis in communi patet; non autem speciale ius aliquod Patronorum continet. Et hunc religiosum aditum Cicero ex Libris Græcorum in suas leges libro 2. de *Legibus* exscriptum. Ad divos adeunto castè. *Inbet lex atire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori praestet, obserueturque ut casta corpora adhibeantur, multò esse in animis id servandum magis.* Hunc autem aditum, Conventum, Synaxim, Concionem, sive Collectam in locis tantum rite consecratis, & ad id destinatis fieri posse & debere constat; nempe in Ecclesiis & Basilicis, sive Parochiis, in quibus, ut loquitur Concilium Agathense primum, legitimus & ordinarius Christianorum Conventus habetur; non in Capellis, Monasterijs, vel Oratoriis, in quibus

publica Missa, frequentia & Concio omnibus Christianis non permittitur jure veteri: ne, ut loquitur Gregorius in *Canone 6. xviii.* *Quest. 2.* in servorum Dei recessibus & in eorum receptaculis ulla popularis *Conventus* præbeatur occasio.

Hactenus explicuimus ex Legibus & Constitutionibus potissimum Imperatorum Christianorum, & ex antiquis Concilis & Patribus excerpta, quæ à Gratiano vel aliis Collectoribus Canonum antiquioribus vel omissa omnino, vel non rectè fuerunt explicata; quibus tamen juris Patronatus & origines & fundamenta declarantur apertissimè. Consequens est ut, quos Gratianus retulit, huic argumento convenientes subiiciamus & explicemus; non eo quidem ordine, quo Gratianus, confusè & perturbatè, sed accurata serie & ordine temporum. Et ut omittamus *Canorem pirmum xvi.* *Quest. 5.* quem vel ex Concilio Arausicanô I. vel ex Arelatensi II. ostendimus defumptum, & explicavimus: quamvis Gratianus dictum Canonem Nicolao tribuat; quia fortasse Collector inter epistolas Nicolai Papæ hoc fragmentum, ut solet fieri, allegatum deprehenderat: antiquissimum reperimus Pelagium primum inter Pontifices, cui tribuntur *Canon in Parochia 31. xvi.* *Quest. 1.* & *Canon Abbatem 4.* cui merito jungemus *Canonem Eleutherius 30. xviii.* *Quest. 2.* ad quos Canones veteres etiam Interpretes aliquid de Jure Patronatus adnotaverunt.

Ad Can. in Parochia 31. xvi.
Quest. 1. Can. Abbatem 4. & Can. Eleutherius 30. xviii.
Quest. 2.

Et quidem in *Canone in Parochia* Pelagius ad postulationem Theodori cuiusdam, qui in sua possessione Ecclesiam fundaverat, Monachum ab eo oblatum, vita & moribus comprobatum, ut in ea Ecclesia Sacerdotis officium impleret, præcipit consecrari à Bono Episcopo Sabinati, in cuius scilicet Diocesi & Episcopatu posita erat illa Ecclesia: non quidem ut statim consecraretur, sed prorogata, id est dilata observantia; ut prius quidem ad Diaconatum Sabbato veniente à Bono Episcopo promovetur, quatenus, ut loquitur, Pontifex ipse mediana hebdomada Presbyterum ficeret.

Observandum 1. quod ait, in sua possessione Theodorum fundasse Ecclesiam, sicut & in *Canone Abbatem*, possessionis etiam Domini fit mentio, & in *Canone Eleutherius*; in re sua & in re sui juris, dicto *Canone Pie mentis* & *Canone Frigentius*. Hoc enim primum observandum in ædificatione & fundatione Ecclesiarum earumque consecratione, ut qui fundarit, soli & area sit dominus; vel saltem domini consensum habeat: alioqui si invito vel ignorantie domino ædificetur, & consecretur Ecclesia, religio non occupabit locum; nec intelligitur locus consecratus, nisi dominus postea ratum habuerit: sicut Jure Civili mortuo in alienum locum illato locus religiosus non fit, sed manet profanus *Lege 2. §. 1.* & sequenti ff. de *Religiosis* & *sumpt. funerum* & §. *religiosum Instit.* *De rerum divisione*; sed tunc locus religiosus fit, cum defuncti fuit *Lege 4. ff. de Religiosis* & *sumptibus funerum*, juncta *Lege 2. Cod. codem*. Et is, qui alienum locum facere religiosum voluit, inconsulto domino, per illationem mortui, aut tollere cadaver, quod intulit, aut loci pretium præstare cogitur *l. 7. ff. eodem titulo*: & in *Lege penulti. ff. de litigiosis* qui litigiosum locum consecravit, in gratiam quidem religionis locus semel sacer factus non resecuratur, nec fit profanus; sed duplum ex *Lege 12. tabularum* præstare tenetur, qui mala mente consecravit. Quam in rem

AD CAUSÆ XVI. CAN. ALIQUOT DE ANTIQ. JURE PATR. 87
insignis est epistola 67. Synesij ad Theophilum Patriarcham Alexandrie, qua omnino improbat consecrationes Ecclesiarum, ignorante vel in voto domino soli factas; quamvis ritè & observatis solemnibus peracta fuerit consecratio. Novum ait esse modum & legem publicationis *δημοσίου*, & nihil sanctum renanere, si ἦν, τὴν τεγμένην μυτικὴν ἐποδον βίαιη ὄπαν, & novum & insolens publicationis genus, si sacre preces, mensa, vel velum mysticum, quod nempe obrendebatur sacra mensa consecrationis tempore, invasionis violenta sint instrumenta.

Confirmatur verò isto Canone jus nominationis vel præsentationis ordinandi vel instituendi Presbyteri, quod Patrono competit; adeoque ut non tantum Clericum, sed etiam Monachum idoneum nominare & offerre possit. Quod quidem Patronis humanitatis causa & provocandæ liberalitatis non denegandum: alioquin iure Canonico quoties Clerici ordinandi vel instituendi in Ecclesiis suppetunt, præferendi sunt Monachis. Votum enim quodammodo irritum facere videntur Monachi, qui renunciantes sæculo & honoribus ac officiis Ecclesiasticis, ut se totos quieti & contemplationi dedant; mutata postea voluntate, respicere retrorsum satagunt. Quin & olim antiquis Pontificibus & Patribus visum, regimini & administrationi Ecclesiarum parùm aptos esse Monachos: & divus Augustinus in epistola 76. ad Aurelium Episcopum ait aliquando bonum Monachum vix bonum Clericum facere: & subiicit, nimis dolendum esse, si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus; si Monachi ad militiam Clericatus temere & promiscue elegantur, Canone Legi 36. XVI. Quest. I. Quam in rem observanda Iwonis Carnotensis epistola 36. qui in hoc articulo Clericos regulares separat à Monachis: quos tamen non aliter assumendos esse ad regimen Parœciarum ait; nisi vita et doctrina commendet, et Episcopalis autoritas ad hoc agendum probet idoneos, epistola 69. et 213. Quibus congruit capitulum quintum de Statu Monachorum et Canonicorum regularium. Cum magna itaque causa cognitione, vitæ & morum, & doctrinæ ab Episcopis præcedente admittendi Monachi: nec ideo statim ad Sacerdotium festinare & admitti debent. Quia in re antiquorum Monachorum ambitionem notavit Zozimus Pontifex; idque vitium familiare in Gallia & Hispania suo tempore ait Capitulo 1. epistola decretalis in Codice Canonum Ecclesie. Ecclesiasticis itaque disciplinis priùs per ordinem imbui, & temporis approbatione divinis stipendiis erudiri debent, ut in dicta epistola dicitur & in simili epistola Cælestini Pontificis in eodem Codice. Et aperte confirmatur hoc nostro Canone in Parochia, et in Canone qui Ecclesiasticis Distinct. LIX. Consensus præterea Abbatis, cui subest Monachus, necessariò requiritur Can. 26. et 27. et seqq. XVI. Quest. I. et capite 5. extra de temporib. Ordination. et qualitate Ordinandorum: adeoque ordo promovendorum ex dictis Canonibus colligitur. Præferuntur Clerici idonci: si desint; Clerici sive Canonici regulares: & postremò Monachi assumendi. Hæc itaque gratia Patrono conceditur ut Monachum statim offerre possit: quod si plures simul Clericum & Monachum præsenter (quod Patrono conceditur) Clericum Episcopus præferre debet. Quod vero in dicto canone in Parochia Pelagius ait, media Hebdomada Presbyterum faciemus; ad tempora legitima referuntur: de qui-

bus tractatur *Distinct. LXXV.* quæ sic inscribitur: *de tempore Ordinum confessorum*: cui respondet *titulus de temporibus Ordinationum et qualitate Ordinandorum*. Pontifex ait, *mediana Hebdomada*, id est Sabbato ante Dominicam de Passione, quæ est Dominica quinta *Quadragesimæ*; sicut ad hunc locum recte *Glossa*, & ad *caput 3. extra de temporibus Ordinationum*. Idem Pelagius de tempore Ordinationis loquens, meminit *medianæ septimanae in Canone 15. Dist. LXXV.* & ex veteri Ordine Romano pagina 141. editionis Coloniensis constat eam appellationem *medianæ hebdomadae* fluxisse à Sede Romana. *Dominica*, quam *Sedes Apostolica medianam volunt nuncupari*. Quod de sacris Ordinibus intelligendum: Nam quatuor Minores Ordines etiam Dominicis, vel aliis festis diebus conferre licet *dicho capitulo 3. de temporibus Ordinationum*. Variam tamen observationem olim fuisse circa tempora Ordinationum docet *Liber Micrologi de Ecclesiasticis observationibus cap. 24. et 29.* quibus addenda, quæ nuper ad *Librum Sacramentorum* Gregorij Magni adnotavit doctissimus Monachus pagina 21. & 27. in *Notis*.

Quod vero obiicit ad hunc *Canonem Glossa*, intervalla legitima, de quibus *can. in singulis Distinctione LXXVII.* non fuisse observata in Ordinatione Monachi, de quo in *dito can. in Parochia*. Ex dispensatione summi Pontificis factum intellige, qui *Canonis* est Autor: nec sine causa. Constatbat enim Monachum vita & moribus dudum fuisse probatum, sicut exprimitur: tum etiam ne diutius locus Sacerdotij vacaret. Quia vero de loco Presbyteri vacante agebatur, Monachum illum Subdiacorum fuisse Glossa observari. Si tamen in Minoribus Ordinibus fuisse constitutus, poterat cum dispensatione admitti; dummodo intra breve tempus, id est intra annum, ut Glossa rectè ex usu promoveri ad Sacerdotium posset *capitulo præterea extra de aetate et qualitate Ordinandorum*. Nec tamen admiserim, si minor sit ætate; adeò ut non possit secundum *Canones intra annum promoveri*, posse Episcopum in una & eadem persona duas dispensationes conjungere; præsertim si de fundationibus agatur. Parendum enim voluntati Patroni; præsertim si conveniat cum sanctis Canonibus. Unica præterea dispensatio *dicho capitulo* permittitur; nec per consequentias ad aliam trahere possumus contra voluntatem Fundatoris & Canonum.

In *Canone Abbatem*, et *Canone Eleutherius xviii. Quest. 2.* qui sunt ejusdem Pelagi, tractatur de Monasteriorum fundationibus, & jure quod Fundatoribus competit. Et quidem in *Canone Abbatem*, dicitur *Abbatem cum Ordinandum*, quem sibi de sua Congregatione & Monachorum electio, & possessionis dominus poposcerint. Quod jus deinde mutatum: & hoc tantum Fundatoribus permisum, ut electioni jam factæ præbeant assensum, ut Glossa adnotat, & pluribus explicavimus ad *Capitulum Nobis de Iure Patronatus*. In *Canone* vero *Eleutherius* dicitur conditiones impositas tempore, quo Monasterium dedicatur, esse servandas; nec quidquam exigi posse ab Episcopis, in quorum Diœcesi Monasteria fundata fuerunt. Ad quem *Canonem*, vel ad *Canonem Pia mentis*, et ad *Canonem 2. x. Quest. 1.* notant Interpretes pensionem aliquam Patrono constitui posse, autoritate Episcopi accidente, in fundatione Ecclesiarum. In ipsa inquam fundatione, velut in rei traditione; quia post traditio-

nem

nem & fundationem non amplius admireretur *Argumento legis perfecta donatio Codice de Donationibus que sub modo vel conditione*; eamque Interpretum sententiam Pontifices comprobaverunt *Capitulo præterea extra de Iure Patronatus.*

Pelagium excipiet Gregorius, quamvis non Pelagio primo, sed secundo successerit, cui tribuntur *Canones 34. & 35. xvi. Quæst. 7.* Et quidem merito *Canon 34.* tribuitur Gregorio primo à Correctoribus Romanis, addita inscriptione hujusmodi: *Gregorius Papa libro 7. indictione & 35. xvi. prima Secundino Taurominitano Episcopo.* Epistolam *31. libri 7.* intellige: ad *Qu. 7.* quem Secundinum aliæ multæ Gregorij epistolæ scriptæ reperiuntur. Cum dicta epistola *31.* conjungimus epistolam *33.* & ex utriusque contextu quæstionem facti intelligimus: nempe Monasterium, de quo agitur dicto *Canon 34.* situm fuisse in Sicilia Maritima in Episcopatu Taurominitano. Tauromenium enim, quæ & olim Naxus, inter Pachinum & Pelorum promontoria Siciliæ constitutum erat in ora maritima: quo à Saracenis diruto, Episcopatus, urbe ferè deleta, unitus fuit Troinensi: unitum verò fuit dictum Monasterium Castelliensi in Calabria sub Episcopatu Scyllitano. Ad hujus Monasterij principalis petitionem rescribit Gregorius, ut Tauromitanus Episcopus rationem tutionis impendat Castelliensi Monasterio, & dictum Monasterium, quod unitum diximus Castelliensi, secundum consuetudinem deputatis de Congregatione eorum illic Monachis, provideat ordinari; quia rationis ordo non patitur ut Monasterium ipsum, & maximè contra voluntatem Fundatorum, ab eorum dispositione (intellige Monachorum principalis Monasterij Castellensis) ad arbitrium suum præsertim laïca persona subducatur, aut aliquod sibi in id jus debeat vindicare. Ex quo Canone, adhibitis duabus illis epistolis, colligimus 1. in Ecclesiis vel Monasteriis Fundatoris leges & conditio-nes esse observandas; ita tamen ut non derogetur ordinariæ potestati & Jurisdictioni Episcoporum. 2. Unita Monasteria, petitis Monachis & institutionibus à principalibus Monasteriis, quibus uniuntur, ordinari, corumque consilio & cura dirigi.

Quæ sequuntur verba in fine dicti *Canonis 34.* (providentia tamen & admonitione Episcopi) quamvis in antiquis Codicibus connectantur verbis Gregorij, non sunt tamen Gregorij, nec reperiuntur in integra epistola; ideoque rectè alio caractere in editione Romana scribuntur. Sunt enim Gratiani, & *Canonis*, qui proximè sequitur argumentum conti-nent; nempe *Canonis 35.* cuius autor inscribitur Gregorius. Nec tamen Gre-gorium primum esse Autorem, jus quod in eo continetur, & stylus convincit. Inauditum enim Gregorij primi tempore inter coheredes Fundatorum Ecclesiæ dividi. Certum quidem est Imperatorum Constitutionibus, & potissimum *Novellis* Justiniani suprà explicatis, non tantum Fundatoribus, sed etiam eorum heredibus jus eligendi, vel no-minandi competisse: quas leges sub Gregorio primo obtinuisse in Italia, vel ex ipsius Gregorij epistolis, qui saepius eas refert, & ex fide historiæ colligitur. Non etiam sapit ætatem Gregorij, quod dicitur in eo *Canon.* coheredes honorare faciant Ecclesiæ, id est sacra Mysteria & ministeria peragi procurent; sed potius idioma Gallicum. Totidem enim verbis dictus Canon reperitur in *Capitularibus Regum nostrorum libro 5. Capi-*



903 FR. FLORENTIS TRACTATUS
zularium cap. 43. & 44. Unde in leges Longobardorum translatus est li-
bro 3. legum Longobardorum titulo 1. de Episcopis & Clericis Lege 43. &
44. & passim in Capitularibus & Conciliis Gallicani, honor & honorare
Ecclesias usurpatur pro cultu, reverentia & divinis Officiis, quæ Eccle-
siis exhibentur.

Ex his omnibus colligimus autoritatem & potestatem Episcoporum in
observandis & inspiciendis Patronis, eorumque heredibus circa admini-
strationem & cultum Ecclesiarum, quas fundaverunt. Reliqua, quæ ad
hunc Canonem 35. à Glossa & Interpretibus adnotantur, infra commodius
explicabimus.

Ad Can. I. x.
Qu. I.

Sequitur ut veniamus ad interpretationem Canonum, quos ex diversis
Conciliis excerptis Gratianus, pariter observata serie temporum. Primus
occurrit *Canon* I. x. *Quæst.* 1. desumptus ex Concilio Ilerdensi, habito
anno 524. auctoritate Servij Metropolitani Terraconensis; qui iungendus
est cum *Canone cum pro utilitate* xvi. *Quæst.* 1. Et uterque scriptus est ex
Can. 3. dicti Concilij Ilerdensis, quem juvat integrum perlegere. Verba
dicti Canonis primi, quæ ad institutum nostrum pertinent, ea sunt: *Si ex Læcis quispiam à se fallam Basilicam consecrari desiderat, nequaquam*
sam sub Monasterij specie, ubi congregatio non colligitur (additur in inte-
gro *Canone*) *vel Regula ab Episcopo non constituitur, à Diœcesana lege*
audiat segregare. Quorum verborum sententia est, Fundatores Ecclesias
& Basilicas à se fundatas, earumque dotem & redditus non posse eman-
cipare, & à lege Diœcesana eximere, id est auctoritate, potestate & Epis-
copali jure liberare, eo colore sive prætextu, quia sub titulo & nomi-
ne Monasterij eas consecraverint. Quæ verba si primis Canonis verbis,
& *Canoni, cum pro utilitate*, adjungamus, apertius dubitandi ratio appare-
bit: ea sunt autem: *qua in jure Monasterij de facultatibus offeruntur, in*
nullo Diœcesana Lega ab Episcopis contingantur. Quæ tamen verba ne ul-
tra mentem Patrum extendantur, observanda sunt prima verba illius Ca-
nonis, quæ sunt hujusmodi: *de Monachis vero id observari placuit, quod*
Synodus Agathensis vel Arelatensis noscitur decreuisse; aut tantummodo ut
eum pro utilitate &c. Quibus verbis significat Synodus aliquid se novi adi-
cere Canonibus; Concilij Agathensis *Canoni 27.* & Aurelianensis primi
Canoni 19. 20. 21. & 22. Ex quibus constat secundum antiquorum Ca-
nonum statuta Monasterium, nisi Episcopo aut permittente, aut probante,
fundari non posse: Regulam præterea Monachis ab Episcopis constitui,
vel saltem probari: & ipsos Abbates pro humilitate religionis in Epis-
coporum potestate consistere; & si quid extra regulam fecerint, ab Epis-
copis corrigi. Nulla præterea in duabus illis Conciliis Agathensi & Aurelia-
nensi I. immunitas conceditur facultatibus & bonis, quæ Monasteriis of-
feruntur, sed juris communis dispositioni omnia reliquuntur, juxta quod
in dictis Conciliis media vel tertia Pars oblationum rerum mobilium assi-
gnatur Episcopo; reliqua ad Clerum pertinere dicuntur. Quæcumque verò
immobilia sunt, in potestate Episcoporum constituuntur (*Canone 14. & 15.*
Concilij Arelatensis priuvi: quamvis nihil nominatim de Monasteriis ca-
veatur; arbitrio Episcoporum permesso hujusmodi negotio. Quare singu-
lare jus continetur dicto *Canone Ilerdensi*, ut verba significant: hoc enim
adjectum fuit; *ea que Monasteriis de facultatibus offeruntur, in nullo le-*

AD CAUSÆ XVI. CAN. ALIQUOT DE ANTIQ. JURE PATR. 21
ge Diœcesana ab Episcopis contingi, id est nullam Episcopi esse potestatem, nihil ex iis bonis posse decerpere. Lex enim Diœcesana, nihil aliud significat, quæm jns Episcopale universum, autoritatem & potestatem, quæm in universa Diœcesi obtinet; quæ jure communii omnibus Episcopis competit in personas Clericorum & Monachorum, & in eorum facultates: sicut ex pluribus locis colligi potest, in quibus jus Episcopale universum appellatur Lex Diœcesana cap. 9. de majoritate & obedientia, cap. 20. de in integrum restitucionibus, cap. 20. & 21. de sent. & re Iudicata, cap. 17. extra de Privilegiis: quibus addimus elegantes eam in rem epistolas Innocentij tertij libri 1. Registri epist. 464. & libri 2. epist. 130.

Quod jus singulare, sive locale in Tarragonensi provincia indulsum, postea receptum fuisse videtur per universam Hispaniam, ut ex Toletanis Conciliis constat, quibus statuitur, ut de his, quæ Monasteriis offeruntur, nullam partem Episcopus accipiat. Gratianus tamen tanquam generale aliquod Constitutum per universam Ecclesiam produxit; sicut & eodem ingenio singularia quædam privilegia à Gregorio I. certis tantum Monasteriis concessa, tanquam jus commune omnibus Ecclesiis usurpavit, multis detractis, additis, & suppositis in Can. 1. 2. 3. 4. 5. et sequentibus xviii. Quest. 5. Cui juri novo cùm manifestè contradicerent Canon 30. et 31. eadem Causa et Quæstione, & alij loci plurimi; & ipsa veritas: commentitiis quibusdam solutionibus conciliare frustra tentavit in fine Canonis 30. et 31. eadem Causa et Quæstione; & in errorem induxit veterem Interpretem Decreti, qui ad Canonem primum x. Quest. 1. specialem quandam legem Diœcesanam excogitavit, quæ pertineret tantum ad ea omnia onera & jura Episcopalia, quibus Monasteria falso exempta volunt: & potestatem omnem Episcopi dividunt in duas partes summas, videlicet specialem illam legem Diœcesanam, & alteram legem, quam vocant jurisdictionis, planè incognitam ante illud commentum Joannis. Et quidem, ut diximus, omnia Monasteria lege Diœcesana exempta volunt; legi verò jurisdictionis fatentur esse obnoxia: quamvis ut supra probavimus & legi tam Diœcesanæ quæm jurisdictionis subjecta, vel ab utraque libera fuerint. Exempla fictitiæ illius legis Diœcesanæ enumerat Joannes ad dictum Canonem 1. x. Quest. 1. & pleniū Glossa explicat ad Capitulum dilectus de Officio Iudicis Ordinarij. Quam quidem distinctionem Legis Diœcesanæ & Jurisdictionis quamvis Honorius III. in dicto capitulo dilectus quodammodo agnoverit in difficiili lite dijudicanda; idem tamen Honorius in cap. ult. de Capellis Monachorum agnoscit nonnullos Monachos Lege Diœcesana etiam Episcopo esse subjectos. Quo loci Glossa perperam ait legem Diœcesanam esse Legem Jurisdictionis; cum tamen, ut diximus, idem Honorius in dicto capitulo dilectus distinctionem inter Legem Diœcesanam & Legem Jurisdictionis agnovisset, & potestatem omnem Episcopi divisisset in Legem Diœcesanam specialem, & Legem Jurisdictionis: quo sensu lex Jurisdictionis intelligitur continere ea quæ sunt Ordinis & Jurisdictionis propriæ dictæ. Quænam verò illa sint jura pluribus exemplis declaravit antiquus Interpretes Joannes ad dictum Canonem primum x. Quest. 1. & pleniū post eum Glossa ad Capitulum Dilectus de Officio Iudicis Ordin.

Sed redeamus ad *dicitum can. primum*. Prætextu & colore quæsito, nudo nomine & titulo Monasterij prohibentur ædificari Basilicæ à Fundatoriis eo proposito, ut res & bona, quæ in dotem Basilicæ offeruntur, non sint obnoxia Legi Diœcesanæ, id est ne Jura Episcopis canonice debita persolvantur. Illa tamen prærogativa in veris Monasteriis admittitur, & locum habet jure singulari ex dicto Concilio Ilerdensi; quæ ita describuntur, ubi plurium Monachorum cœtus colligitur & Regula ab Episcopo constituitur. Per id enim temporis secundum veterum Canonum Constitutiones Monasteria & Monachi sub Episcoporum potestate consistebant. Quod si Basilicas Laici ædificavissent, in quibus plebis & populi conventus legitimus haberetur, ad plenissimam Episcopi ordinationem & potestatem pertinebant, & ab Episcopo tam Lege Diœcesana quam Jurisdictionis regebantur; nec quidquam quolibet prætextu in præjudicium Episcoporum vel in ipsa Lege fundationis cavere licebat, ut dos Ecclesiæ ad Episcopi ordinationem non pertineret, Concilio Toletano III. *Canone 19.* et *Canone 2. 3. 4. et seqq. x. Quest. 1.* Quin imò Capellæ Monachorum & Ecclesiæ Parochiales, quæ Monasteriis annexæ sunt, quamvis Monasteria sint exempta, Episcoporum subsunt potestati, *cap. 1. de Capellis Monachorum*; nisi Episcopi cum consensu Capituli juri suo solemniter renunciaverint, vel eodem consensu interveniente, primum Capellas vel Ecclesias hujusmodi pleno jure, id est tam in spiritualibus, quam in temporalibus concederint Monasteriis *cap. 6. et 7. extra de Religiosis domibus, cap. 15. et 17 de Privilegiis.*

Quod autem diximus pleno jure Ecclesiæ ad Episcopos pertinere, ita intelligendam, ut diximus; dummodo canonica tantum jura & legitima percipient, nec in usus suos redditus Ecclesiarum convertant, nec avaritiae sitis etiam Episcoporum mentes obtineat; qualis avaritia gravissimè describitur in Concilio Toletano IV. *Can. 32.* habito sub Honorio I. ex quo colligitur quod descriptum fuit *can. 60. xvi. Quest. 1. et can. nov. x. Quest. 1.* quem suprà explicavimus. Et quidem in *dicto Canone 60.* tam de oblationibus, quam de tributis ac frugibus tercia Episcoporum constituitur secundum *Canones & morem Hispaniæ*; quarta vero secundum morem Ecclesiæ Romanæ *Canone 26. 28. et seqq. et can. mos est XII. Quest. 2.* Itaque rectè Gratianus ad *Canonem, possessione 61. xvi. Quest. 1.* adnotat de ea portione judicandum secundum diversas consuetudines. Quod si amplius quidpiam præsumperint Episcopi, per Concilium restauretur, appellantibus, ut loquitur dictus *Canon. 60. xvi. Q. 1.* aut ipsis Conditoribus, aut certè propinquis eorum, si jam isti à sæculo decesserint. Ex quibus *Canonis ultimis* verbis constat Conditoribus & Fundatoribus Ecclesiarum eorumque liberis vel propinquis licere, querelam proponere in Conciliis adversus avaritiam & dilapidationem Episcoporum: idque apertius repetitum & cautum in Concilio Toletano IX. *Canone 1.* quem suo ordine explicabimus. Sed antequam progrediamur ulterius, observandum Patronorum jura ad tria Capita reduci soleme, quæ vel ad honorem, vel ad onus, aut utilitatem Patronorum pertinent. De honore aliquid supra, v. g. ut de eorum nomine appellentur Ecclesiæ, & prærogativa sedendi & procedendi eis competit; & quod præcipuum est, jus Patronatus, ut eis præsentatio sive nominatio &

electio competit in locum vacantem in Ecclesia, quam fundaverint. Pertinet vero ad onus & sollicitudinem, ut prospiciat & invigilet Patronus, utrum ritè à Clericis, quos nominavit, & secundùm Leges fundationis sacra mysteria peragantur; ne quid Ecclesia non tantum à Ministris, sed etiam ab ipsis Episcopis detrimenti patiatur, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus.

Utilitas Patroni in eo vertitur, v. g. ut si ad inopiam redactus fuerit ei subministrentur ab Ecclesia ad viatum necessaria can. quicunque 30. Ad can. qui xvi. Quest. 7. qui Canon desumptus est ex canone 37. Concilij Toletani cumque 30. xvi. quarti, cuius hæc est sententia: *quicunque fidelium aliquid de facultatis suis Ecclesia contulerint, si forte ipse aut eorum filii ad inopiam redacti fuerint, ab eadem Ecclesia suffragium vita accipient.* Ex cuius can. verbis notandum, non tantum de Fundatoribus, sed generaliter de omnibus, qui liberales extiterunt in Ecclesiis, idem juris statui. Quod confirmat ratio generalis quæ subiicitur in integro Canone. Si enim Clericis, seu Monachis, vel Peregrinis quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo Religionis intuitu in usum res Ecclesiastica largiuntur; quanto magis consulendum est, quibus retributio justa debetur, quibus r̄ situenda est retributio & vicissim. Quare strictius Gratianus & Interpres hunc Canonem de solis Fundatoribus accipiunt. Quæ vero in fine Canonis verba subiiciuntur: *Si ergo Ecclesiasticas facultates, &c. sunt Gratiani.* Sicut & quæ in fine præcedentis Canonis verba subiiciuntur: *Si vero Fundatores &c. non sunt confundenda cum præcedentibus: sunt enim Gratiani; quamvis in quibusdam Codicibus confundantur.* Confirmatur vero & intelligitur dictus canon, quicunque in fine capituli nobis 25. de Iure Patronatus; quod & exemplis à Jure Civili de sumptis Glossa illustravit.

Sequuntur explicandi secundum ordinem temporum Canones 31. & 32. eadem Causa xvi. Questione 7. qui petiti sunt à Canonibus 1. & 2. Concilij Toletani noni habitu sub Vitaliano II. anno Christi 655. Et quidem 31. hæc est sententia, ut prospiciatur accuratius doti & facultatibus Ecclesiarum, non tantum Fundatoribus, sed liberis aut honestioribus propinquis eorum inspectio permittitur; & si præviderint Sacerdotem vel Ministrum aliquid defraudere ex collatis rebus, eos commonitionis honestæ conventione compescant; vel si eam negligant, Episcopo vel Judici corrigenda denuntient. Quod si Episcopus ipse talia tentet agere, v. g. si è rebus Ecclesiæ, quæ in quibusdam locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, aut Cathedræ propriæ civitati connectat, sicut dicitur in integro Canone, Metropolitano insinuare procurent. Quod si eadem Metropolitanus admittere deprehendatur; Regis auribus intimare non differant, hac addita ratione: *devotio enim uniuscujusque sicut gratianer votum contulit;* ideo ita definivit, quod plenitudo votorum conservaretur in loco, in quo velut si loca tenentur, manet gratia efferentis; ita si frustrantur, imminet pernicies defraudantis. In fine vero dicti canonis, vice mutata, Fundatoribus eorumque heredibus inhibetur, ne in rebus semel donatis protestatem exerceant, easque revocare tentent in sua jura; hac pœna Ecclesiastica proposita, ut præter male raptorum restitutionem, excommunicationis annua sententiam sustineant. In can. vero 32. eadem sollicitudo Fundatoribus injungitur; & admonentur præterea: *vt idoneos recte-*

Ad can. 31. &
32. xvi. Q. 7.

res in Ecclesiis, quas fundaverint & offerant Episcopis ordinandos. Quod si non repererint idoneos, Episcopus loci, quos Deo placitos noverit, sacris cibis instituat cum eorum conniventia, id est cum consensu Fundatorum. Conniventia enim apud Scriptores ætatis mediæ consensum significare, pridem ad epistolam Iovonis 226. doctissimus Juretus observavit. Additur in codem Canone: quod si spretis iisdem Fundatoribus: (in aliis Codicibus legitur alio sensu) quod si superstibus iisdem Fundatoribus: quibus verbis heredes excludi viderentur contra jus, quod etiam illo tempore obtinebat, ut ad heredes jura Patronatus producerentur. Rectius itaque apud Gratianum: Si spretis fundatoribus, generaliter; Rectores ibidem presumserit ordinare Episcopus, id est quod si sine consensu Fundatorum auctorum heredum rectores in dictis Ecclesiis præsumpserit Episcopus ordinare; hujusmodi ordinationem suam neverit irritam esse, & ad verecundiam suam alio ordinari, quos iisdem ipsi Fundatores condignos elegerint.

Jus itaque nominationis, electionis, vel ut vulgo vocant, Præsentationis Fundatoribus confirmatur. Quod & longè ante illud Concilium non tantum Fundatoribus, sed etiam eorum successoribus competere probavimus; cum hac tamen conditione necessaria, ut nominatos Episcopos examinet; & si compererit idoneos, consecret & ordinet. Unde in Canone in Parochia, quem supra citavimus, ad postulationem Fundatorum Presbyteri consecrari dicuntur. Ita verò ab Episcopis ad postulationem Fundatorum in Ecclesiis tempore ordinationis denominati vel introducti, postea non possunt expelli arbitrio Fundatorum vel eorum successorum, absque Episcopi judicio, & causa cognita cum severitate Canonica propter gravissimam culpam, & sententia prolata Canone 29. 37. & 38. dicta Causa xv. Quæst. 7. quos accuratiūs in sequentibus explicabimus.

In Canonicis verò superius expositis negotium facescit *Ordinationis & Consecrationis* mentio ad postulationem Patroni, & irrita ordinationis, quamvis ab Episcopo facta fuerit, sed spredo Patrono. Itemque ignoravit Glossa quid propriè significaretur per *denominationem Ecclesia in tempore ipso ordinationis*: quam denominationem Glossa accipit de Electione, sive Nominatione à Patrono facta; perperam tamen, quia hujusmodi nominatio in ipso tempore Ordinationis fieri dicitur. Præterea expellendi verbum in dicto Canone 29. eam deducit ad absurdissimam interpretationem, ut quis dicatur expelli de jure, cuius possessionem nunquam apprehenderit. Verus intellectus dictorum Canonum repetendus est ex antiquo usu Ecclesie, qui fuit hujusmodi, ut nemo absolutè, id est sine certo titulo & laco in aliqua Ecclesia vacante ordinaretur; & ad quem locum & Ecclesiam, in ipso ordinationis facienda tempore, publicè denominabatur ordinandus in Ecclesia, in qua peragebantur ab Episcopo ordinationes: quæ publicatio, sive proclamation Ordinandorum fiebat in conspectu totius Conventus Christianorum, qui frequentissimus in hujusmodi solemnitate adesse solebat; idque sive ad minores, sive ad maiores, id est sacros ordines promotio procederet.

Publicationis verò sive denominationis hujusmodi erat formula. A Lectore de ambone, elevatata voce, jussu Episcopi recitabatur & pronunciabatur nomen ordinandi & Ecclesie, sive Tituli, ad quem Ordinabatur. Illius

AD CAUSÆ XVI. CAN. ALIQUOT DE ANTIQ. JURE PATR. 95
verò formulæ exemplum extat in ordine veteri Romano. De titulo sancte
Mariae, id est Ecclesia, eligimus Petrum ad Ostiarium ad eundem titu-
lum, vel Lectorem &c. Vel si ad sacros Ordines: eligimus Diaconum,
aut Presbyterum: si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat
cum fiducia, & dicat. Solebant enim in Ordinationibus Episcopi con-
sulere populum, & ut Cyprianus ait, & merita & mores Ordinandorum
communi consilio ponderare.

Post hujusmodi publicationem peragebatur ordinatio & omnibus ex-
pletis, Missaque ritè peracta, à Pontifice solemniter procedente cum uni-
verso Clero Ordinati deducebantur ad statutos titulos, in quibus popu-
lus expectabat, & excipiebat proprium Sacerdotem. Quæ omnia totidem
ferè verbis exscriptissimus ex ordine Romano pagina 88. 89. & 90. editionis
Coloniensis, libro de divinis Officiis et è Sacramentario Gregorij Magni
nuper edito pagina 235. & 236. Quod & Glossa ad caput Dudum 52. extra
de Electionibus in verbo intitulatum non videtur ignorasse: & apertiùs
Correctores Romani ad Canonem 29. xvi. Qu. 7. et ad can. primum
Dist. lxx.

Ex quibus intelligimus quid significant hæc verba dicti Canonis 29. in
Ecclesiis ordinationis tempore denominari & introduci, sive intitulari; &
quod passim dicitur ad Electionem, postulationem vel præsentationem
Patroni ordinari ad Ecclesiam ab eo fundatam. Intelligimus etiam quod
antiquissimus Interpres Canonis 6. Chalcedonensis ait in Canone 1. Dist.
lxx. nisi manifeste in Ecclesia civitatis qui ordinatur, mereatur publicata
ordinationis vocabulum: in Græco εἰ μὲν εἰδίως ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεις ὁ κατε-
γόρος ἀμυρπύθων. Dictio ἀπολύτως, id est simpliciter, sive generaliter op-
ponitur dictioni εἰδίως, id est expresse. Uno verbo generalis, sive abso-
luta, & ad nullam Ecclesiam expressam & specialem facta ordinatio inu-
tilis erat, nulla & irrita. Dionysius Exiguus ita vertit: nisi specialiter Ec-
clesia civitatis, aut possessionis, aut Monasterij, qui ordinatus est, pro-
nuncietur. In Concilio Ancyrano canone 18. ὅροπαδνον, id est fuerunt dicentes,
denominati, vetus versio & Dionysij Exigui. Alioquin, ut diximus, ge-
neraliter facta ordinatio & absolutè, id est non expressa certa Ecclesia
& loco, cui ordinetur servitus, erat irrita, vacua & inefficax. In Ca-
pitulari Aquitanensi sub Carolo Magno, inefficacem esse hujusmodi ordi-
nationem, & usquam posse ad ordinantis injuriam valere. In quo Ca-
pitulari elegans summa dicti Canonis 6. Chalcedonensis conficitur his ver-
bis: Ut nullus absolute ordinetur, & sine pronunciatione et stabilitate loci,
ad quem ordinatur. Harmenopolus in Breviario Canonum, dicens ergo,
id est Laicus maneat: nempe adeò nulla erat hujusmodi ordinatio sine titulo
& Ecclesia certa, ut Laicus maneret, qui sine titulo ordinabatur; & ut
secundum Theologos loquamus, Character non imprimebatur propter vi-
tium illud insigne in ordinatione. Et merito Innocentius III. in cap. 16.
de Præbendis, Prædecessores nostros, ait, Ordinationes eorum, qui sine
certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerunt
& inanes. Eademque forma in dicto Canone 2. Concilij Toletani noni
dicitur, ordinationes, invitatis Fundatoribus, ab Episcopo factas ad Ecclesiias,
quas fundaverant Patroni, irritas esse, & ad verecundiam eorum alios,
quos Fundatores elegerint, ordinari; perinde ac si ordinati fuissent sine

S. Paulinus
ordinatus
fuit ab Episcopo
Bacchiniensem
si, ad nullam
Ecclesiam ad-
dicens.

96 FR. FLORENTIS TRACTATUS
ullo titulo. Et hodie multò magis dicendum, institutionem factam ab Episcopo nullam esse, & alium in eodem loco præsentari instituendum à Parrono; qui instituetur, vel ab ipso Episcopo, vel ab ejus Metropolitano; sicut in *Canone* 1. ejusdem Concilij Toletani noni Episcopi negligentiam vel culpam emendat Metropolitanus.

Ad can. 37. & 38. xvi. Q. 7. Sequuntur *Canon* 37. desumptus ex Concilio Moguntino sub Carolo Magno, & *Canon* 38. ex Concilio Cabilonensi II. cap. 42. sub eodem Carolo Magno *eadem* C. XVI. Q. 7. quibus adjungimus ejusdem argumenti *Canones* 4. & 5. Arelatensis VI. Remensis II. *can.* 12. Turonensis II. *can.* 15. sub eodem Carolo, & *Capitulare* ejusdem Caroli Magni I. editum à doctissimo Sirmondo *tomo* 2. Conciliorum Galliæ pagina 323. quæ Concilia quinque & dictum Capitulare anno Imperij Caroli Magni 13. ejus jussu & autoritate, super corrigendo statu Ecclesiarum celebrata fuerunt anno Christi 813. Dictum verò Capitulare editum fuit in Conventu Aquisgranensi, in quo Constitutionum omnium, quæ in quinque illis Synodis promulgatae fuerant, collatio coram Imperatore fuit habita, & multæ Constitutiones dictorum Conciliorum, non generaliter, sed sigillatim confirmatae fuerunt, ut discimus ex *Chronico Egipciensi* ad annum 813. Quare mirum non est, si fere illi omnes earum Synodorum *Canones* in *Capitularia Regum nostrorum* relati postea fuerint.

Et quod pertinet ad argumentum, quod tractamus *dicti Canones* 37. & 38. ex Conciliis Moguntino I. & Cabilonensi II. supra citatis excerpti deprehenduntur, totidemque verbis habentur libro 5. *Capitularium* cap. 82. & in *Legibus Longobardorum* libro 3. tit. 1. *Lege* 43. & in Concilio Romano sub Leone IV. *Cap. penult.* & ult. qui & Leo IV. autor est *Canones* 29. xvi. Q. 7. in quo supradictorum Canonum brevis sententia refertur. *Contra Sanctorum*, ait, *Patrum censuras videtur existere, si secularis & laicus Presbyteros Ecclesias, in quibus tempore Ordinationis eorum denominati et introduciti fuerunt, nitatur expellere.* Ut rem totam aperte explicemus ex dictorum Conciliorum Canonibus, Arelatensi præcipue, Turonensi, Cabilonensi & Romano: Laici, Clerici & Abbates temeritate, vel quod gravius est, cupiditate & avaritia ducti, indignos, pravos & imperitos Clericos absque consensu Episcoporum, ad quos pertinet, data pecunia Ecclesiis præficere, vel removere solebant, & alios indignos pro arbitrio substituere. Quod vitium latissime diffusum agnoscunt. Quare tot super eadem re iterata Concilia; quæ & Capitularibus Regum nostrorum confirmata. Nec tantum adhibitæ Censuræ Ecclesiasticæ, sed etiam pœnæ gravissimæ, & multæ in fiscum inferendæ tam à Patronis, quam à Clericis, qui malis artibus Ecclesiæ occupare nitebantur: & districtissime constitutæ, ne Conditoris Laici, vel Ecclesiastici cui liber Presbytero dare vel auferre præsumant Ecclesiæ sine licentia & consensu Episcopi, à quo ad divini Officij ministerium venerabiliter experti debent. Episcopis enim singulariter Diœceses pertinent, qui & canonice debent ipsis providere, & provisas ordinare dicto Concilio Romano *Can. ult.* Clerici enim diligenter priùs instructi ab Episcopis Ecclesiæ sibi deputatas accipere debent, ne per ignorantiam etiam in ipsis divinis Sacramentis offendant; cum & administrationis Sacramentorum in

AD CAUSÆ XVI. CAN. ALIQUOT DE ANTIQ. JURE PATR. 97
in Conciliis Episcopis suis rationem reddere teneantur, dicto Concilio
Arelatensi *Canone* 4. Ubi verò semel rite & canonice fuerint Ecclesias
adepti, non ad arbitrium Fundatorum, sed causa cognita tantum &
probata propter gravissimam culpam, & secundum canoniam severita-
tem prolata sententia debent eiici, dicto *Canone* 38. xvi. *Qu. 7.* & dicti
Arelatensis Concilij *Canone* 4.

Sicut autem æquillimum fuit temeritatem, avaritiam & violentiam
Patronorum coerceri; ita etiam justum fuit iisdem Conciliis legitima &
canonica iura Patronorum conservari; nec ab eis Clericos probabilis vita
& doctrinæ oblatos Episcopis consecrandos & instituendos, ulla reiici
occasione, *Canone* 49. Concilij Vvormatiensis sub Adriano II & antea in
Concilio Romano sub Leone IV. *can. 21.* cuius pars relata est à Gratiano
in *Carone* 33. dicta *causa & quæstione*, quo præcipitur *Constructori invito, Ad can. 33.*
Monasterij vel Oratori ab eo constructi dominium non esse auferendum. Ad xvi. Q. 7.
quem locum Glossa non imperie adnotat, ex sententia tamen potius
quam ex verbis, invito Patrono non posse de Ecclesia fieri Monasterium,
vel contra de Monasterio Ecclesiam. Sequitur in dicto *Canone*: *liceat quo*
illi Presbytero, cui voluerit, pro sacro Officio illius Diœceseos & bona au-
toritatis dimissoria cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare.
Hæc tantum retulit Gratianus. Sequitur, quod omisit: *ita ut ad placi-*
ta et ad justam reverentiam ipsius Episcopi obedenter Sacerdos recurrit;
aliоquin canonice ultionibus subjaceat. Sensus integri Canonis hic est:
Patrono jus Electionis & nominationis Presbyteri in Oratorio vel Mo-
nasterio confirmatur; ita tamen ut præsentatum Episcopus post inquisi-
tionem & examinationem admittat; quemlibet idoneum, inquam, Pres-
byterum, sive illius Diœceseos, in quo Monasterium vel Oratorium
conditum est, sive alterius Episcopatus; dummodo dimissoriam bonæ
autoritatis habeat, id est dummodo rite & canonice confectas litteras
dimissorias à proprio Episcopo obtinuerit. Quibus verbis significatur
accurata forma, quæ præscribitur in *Canone* 18. ejusdem Concilij, quo
præcipitur, *ne falsa littera dimissoria ut vera credantur; et vera ut false*
suspicentur, eas roborari oportere Bulla universalis Pontificis, vel Impera-
toris, vel Metropolitani.

Commendandi, & commendationis verbum, quo utitur *dictus Canon*
21. & Canon 24. ejusdem Concilij frequens fuit illa ætate pro jure ipso
Electio, vel nominationis, & ut hodie loquimur, præsentationis, si-
cūt constat ex *Can. 50.* Concilij Arelatensis VI. Moguntini primi *Canone*
dicti *Capitularis Caroli Magni cap. 2. tomo 2. Concil. Galliæ*
pag. 323. *ut Laici omnino non audeant munera exigere à Presbyteris propriæ*
commendationem Ecclesie. Et in *additione 3. Capitularium cap. 62.* &
Autor *vita sancti Udalrici: consecratione peracta doteque contradicta, com-*
probato illic Presbytero Altaris procurationem commendavit. Quibus om-
nibus locis autoritas & potestas eligendi, nominandi & præsentandi
confirmatur & explicatur.

Supereft explicanda inscriptio dicti *Canonis* 33. In veteribus editionibus
Romanæ Synodo tribuitur, non addito nomine Pontificis. Correctores
Romani ita restituunt. *Ex Synodo Romana Eugenij II. & Leonis IV.*
cap. 21. ad cuius inscriptionis intellectum, notandum duas Romanas Sy-

nodos super reformatione & emendatione disciplinæ fuisse habitas, & in utraque eisdem ferè Canones promulgatos, primam sub Eugenio II. anno Christi 826. quorum titulos tantum edidit Baronius & ex eo Einius: alteram verò sub Leone IV. anno Christi 853. cuius Synodi Canones ferè integros retulit autor *vitarum* Pontificum, qui sub nomine Luitprandi solet subiici post Anastasium Bibliothecarium.

Ad can. 36. Qu. 7. Postremus occurrit *Canon 36. si plures xvii. Qu. 7.* desumptus ex Concilio Triburiensi sub Arnulpho; ordine etiam temporum postremus ex illis, quos explicavimus; cuius argumentum tantum retulit Gratianus, & extat integrior in *cap. i. extra de jure Patronatus.* Et hæc de Jure Patronatus antiquo dicta sufficient.

